MVNDVS FVRIOSVS:

ſiue,

NARRATIO RERVM à MENSE APRILI, ANNI M. D. XCVI. vſq; ad Autumnum Anni M. D. XCVII. tota Europa geſtarum, Libris tribus comprehenſa.

AVCTORE P. A. IANSONIO.

Eſaiæ cap. 1.

Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis; gladius deuorabit vos: quia os Domini locutum eſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLONIAE,
Apud Gerardum Greuenbruch.
Anno M. D. XCVII.

RATIO TITVLI HVIVS LIBELLI: Ad Lectorem.

QVI ratione propria nō vtitur, mentis ſuæ compos non eſt, & aliorum ſanis conſilijs non acquieſcit, is amens eſt. Qui autem bene monentes non tantùm non audit, ſed eos odit, perſequitur, & occidit, furioſus dicitur. Amentia enim innocentiā quādam habet, at furor mentis peruerſitatem, cum nocendi cupiditate coniunctā. Hoc malo nunc mundum, ſeu potius hominem, qui & paruus mundus dicitur, laborare quis non videt? Condidit Dominus hominem rectum, omnium ſuarum virium & potentiarum compotem. Ornauit inſuper donis gratiarum ampliſſimis, & dominū vniuerſorum eum conſtituit. Homo cùm in hoc honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: vt iam non tantùm ceteris creaturis, ſed ne quidem ſibiipſi dominari non potuerit. Dedit Dominus homini legem ſuam, ſecundùm quam mentem reformaret, & vitam inſtitueret. Miſit in mundum homines diuinos, qui Spiritu Dei loquebantur, qui furentem, & in propriam perniciem ruentem mundum ſanis admonitionibus & conſilijs in officio retinerent, & antiquo ſtatui reſtituerent, Pſalm. 8.

rent. Quid mundus? quid homo? non tantùm nihilo melior his effectus eſt, ſed quantum in ſe fuit, legem Dei lacerauit, & bene monentes perſecutus eſt: quorum multos exquiſitiſſimis ſupplicijs affectos interfecit. Quis igitur hunc mundum furioſum non dixerit? Qui populo antiquo fuêre, eidem & præcedentium, & huius etiam ſeculi hominum furores ſunt.

Quòd ſi ratione vterentur, in quiete viuerent, omnium rerum abundantia affluerent, & à nemine ipſis timendum eſſet. Si Deo, eiuſque miniſtris obedirent, bona terræ comederent. Eſaiæ i. *Mauult autem mundus ad ſana præcepta & monita aures obturare, & concupiſcentiarum ſuarum peſſimarum ductum ſequi. Hinc Dei contemptus, quo dominãte omnia in ruinam vergant neceſſe eſt. Cùm pietas & diuinus cultus in pretio eſſent, Deus mundum beauit, pax, ſecuritas, abundantia, felicitas mundum vniuerſum occupauit. Venerunt ſecula, quibus Deus neglectus hæc omnia abſtulit, & malorum Iliadem eorum loco inuexit. nati ſunt homines irreligioſi, elati, auari, vindictæ cupidi, delicioſi, rapaces, pauperumq́; & viduarum oppreſſores, qui omnia quæ præcedentium pietas pepererat, conſumpſerũt, rapuerunt, euerterunt: non magno ſuo commodo, ſed æterno ſuo diſpendio. Hinc natæ hæreſes, templorum, monaſteriorumq́; di-*

uinorum myſteriorum, imò totius religionis diuinæ euerſiones, exterminationesq́. Hinc inter Principes ambitiones intolerabiles, dominandi cupiditates deteſtabiles fraudes, vſuræ & impoſturæ inter plebeios plus quàm ethnicæ.

Hinc homicidia, inſidiæ, proditiones inauditæ: hinc luxus, voluptates, in cibo, potu, veſtibus & ædificijs Deo, hominibusq́ deteſtanda prodigalitas: quibus alendis cùm deſunt vires, ad rapinas, artes piraticas, agrorum depopulationes, innocentium direptiones, huiuſmodi homines conuertuntur. Hæc omnia iuſtorum bellorum titulis excuſantur. Interim mundus ſurſum deorſum vertitur, & non ſolùm ſpectatores, ſed actores ipſi ridentes, cachinnantesq́ in extremum ſuum proruunt exitium. Quis iſtos homines furioſos non dixerit? quis mundum huiuſmodi furioſorum carcerem non appellabit?

In huiuſmodi mundum cùm nos (prô dolor) inciderimus, deſcripturus ego furores Principum & populorum noſtri ſeculi, [illegible]t eius aliquam partem, non abs re fore exiſtimaui, ſi opuſculum hoc MVNDVS FVRIOSVS *inſcribatur. Hoc itaq́ titulo in lucem prodire placuit, in quo etſi paucorum, non dico annorũ, ſed menſium res geſtæ commemorentur, variæ tamen hominum inſaniæ & furores referun-*

tur, quibus omnibus mundus ipſe mederi poſſet, ſi ratione vti, Deo obedire, ſanis conſilijs velit acquieſcere.

Vale Lector, & hoc qualicunq; labore noſtro fruere. Ex arce Buſiana, Idibus Auguſti; Anno 1597.

P. A. I.

MVNDI FVRIOSI LIBER PRIMVS.

LYMPHATICOS huius mundi furores, voluntariamque deſcripturus inſaniam, ab alicuius inſignis, celebriſq; Principis regimine capiendum eſſe exordium non abs re fore exiſtimaui: Cùm autem alij aliorum Principum ante me res geſtas vario idiomate poſteritati conſecrauerint, percommodè in hæc tempora incidit nobis Alberti Archiducis Auſtriaci, & inuicti Cæſaris Rudolphi fratris in Belgio adminiſtratio. Is igitur huius noſtri commentarioli det exordium.

Poſtquam Sereniſsimus Princeps Albertus IV. Calend. Februarij, huius anni M. D. XCVI. Luxenburgum veniſſet, primaria Nobilitas Belgij, cum Comite Fontano effuſa, illum ſalutatum proficiſcitur: quem ex itineris moleſtijs paululum recreatum, XI. die Februarij incredibili cum triumpho, põpa regali, & totius vrbis lętitia Bruxellas deduxerunt. Præfecturam aggreſſus nullum tempus otio dedit, ſed confeſtim ad Ordines Regi rebelles ſcripſit, ipſis pacem offerens; interim omnia quæ ad bellum erant neceſſaria præparans: Sciebat enim Ordines proſpero rerum ſucceſſu, & fœdere cum Gallo, Anglâ, alijsque Principibus inito fretos,

de nulla re minus, quàm de pace cogitare: vti & reipſa comperit. Ordinibus itaq; pacē repudiantibus, Archidux copias omnes militares conuenire iubet; recenſentur, luſtrātur, & ſtipendia diſtribuuntur. Metuebat ſibi cùm hæc audiret Rex Nauarræus, qui eo tempore Feram, Veromandiæ vrbem, valido Hiſpanorum prçſidio munitam obſidebat: famà namque erat, Archiducem cum omnibus viribus ſuis vrbem hanc obſidionę liberare decreuiſſe. Hollandi ex altera parte vrbi Bredanæ metuebant, qui miſſo Mauritio eam commeatu & apparatu bellico inſtruxerūt. At Albertus præter omniū expectationem Caletum Galliæ in finibus Belgij, vrbem maritimam munitiſsimam, & cōmodiſsimo portu celebrem & opulentam ex improuiſo obſidione cinxit, & xv. Aprilis, quæ erat altera poſt Reſurrectionem die, tanto furore, tot tormentorum ictibus mœnia verberauit, vt poſt biduum oppidani metu conſternati ſe, vrbemque certis conditionibus dediderint. Arx, quæ in parte vrbis eſt verſus mare fortiſsima, cùm ſuis muris, foſsis & propugnaculis fideret, dedere ſe noluit. Archidux promotis tormentis cùm induciæ ſex dierum, quæ præſidiarijs datæ erant, expiraſſent, xxiv. Aprilis arcem ſumma contentione oppugnauit, ſimul & expugnauit, cæſis penę omnibus, qui in ea erant, vnà cum Vidoſſanio, vrbis & arcis prçfecto. Maxima tam in vrbe, quàm in arce inuenta

Albertus Cardinalis Caletum obſidet.

uenta eſt auri, argẽti, vini & omnis generis mercium copia, quæ victoribus in prædam ceſſerunt. Fiebant hæc in conſpectu claſſis tam Anglicanę, quàm confœderatorum Belgicorum, quæ frequentes aduenerant, vt obſeſsis opem ferrent: at cùm Archiducis feruorem, caſtrorumque conſtitutionem viderent, in terram deſcendere nõ ſunt auſi: ſed velis verſis diſparuerunt.

Nauarręus hac inopinata clade attonitus, confeſtim omnes vrbes vicinas, Bononiam, Montrolium, Ardam &c. maioribus præſidijs muniuit: ipſe Ambianum ſe contulit, expectans quò ſe belli moles verteret. Hollandi, ceterique confœderati hanc Alberti expeditionem ſuis prædationibus & latrocinijs commodam exiſtimantes, contractis aliquot copijs Brabantiam, præſidijs militaribus tunc vacuam, hoſtiliter ingreſsi, VVauriam inter Bruxellas & Namurcum pagum celebrem, Parcenſemque Abbatiam, in agro ſuburbano Louaniẽſi, cum quibuſdam alijs pagis & vicis exuſſerunt; ac tandem ingenti præda onuſti, cum magna captiuorum turba in ſua ſe receperunt. *Hollandorum excurſio.*

Sed nec Albertus in tam proſpero rerum ſucceſſu feriatur; ſed relicto Caleti valido ſatis præſidio, Ardam oppidum, natura loci & arte munitum, Caleti quaſi propugnaculum circa medium Maij obſedit. Præerant oppido Belinus, Ramburius & Monlucius cum duobus equitum peditumq; millibus, *Arda obſidetur.*

cò paucos ante dies miſsi. Obſeſſa vrbe Borlutius cõfeſtim ſuburbanas munitiones occupat. Erũpunt ſæpe præſidiarij, & cum Hiſpanis acerrimè pugnant: in quarum vna eruptione Monlucius, cum quodam Tribuno militum Aquitano magno Gallorum luctu cæditur. Cùm autem præſidiarij omnia quæ ad oppugnationem neceſſaria videbantur comportari cernerent, metu recentis Caletenſium exempli, oppidum vitam, fortunaſque pacti Archiduci tradiderunt.

Feram recuperat Gallus.

Dum in obſidionẽ Ardæ eſt Archidux & Cardinalis Albertus, Ferenſe præſidium, conſumptis omnibus ad vitam neceſſarijs, cum hoſte de deditione tranſegit. Conditiones ad Albertum tulit Hiſpanus quidam Iacobus Carlegus, quas cùm ille approbaſſet, Montlimarius, & Oſorius cum ceteris ducibus & militibus (vt pactum erat) XXII. Maij egreſsi, in agrum Cameracenſem conceſſerunt.

Regij ceduntur in Belgio.

Per eoſdem dies Vicarius Comitis Hermanni Tſerenbergij Bruxellas profecturus, equites Moerſenſes, Alpenſes, & VVachtendunkanos è ſuis præſidijs euocauit, vt ſe deducerent. Cùm autem Stockomium veniſſent, equites aliquot Ordinum ex inſidijs erumpentes imparatos obruunt, cedunt, fugantque, & victores ad ſuos reuerſi ſunt.

Archidux peditatum penè omnem in agrum Oſtendenſem conuenire iuſsit. Equitatum per vrbes limitaneas diſtribuerat, vt

excur-

excurſiones, deprædationesque Gallorum impedirent. Famæ autem datum eſt, Archiducem Oſtendam obſidere velle; quem in finem nautas, fabros & baliſtarios Antuerpia euocauit: ad quam expeditionem (vt fama ferebatur) ingentem vim pecuniæ, & xxx. currus puluere ſulfureo oneratos Flandri conferrent.

Menſe Iunio tumultus quidam in terra Iuliacenſi & Cliuenſi exortus, penè ad manifeſtum bellum erupiſſet. Interceptæ namque dicebantur litteræ, quibus continebatur, nonnullos Principes, vt Brandenburgenſem, Neuburgenſem, Bipontinum & Boruſsiæ Ducem, qui ad Ducatum Cliuenſem, Iuliacenſem & cæt. aſpirabant hoc titulo, quod aut ex ſororibus viuentis adhuc Ducis Ioannis VVilhelmi nati eſſent, aut ſorores eius vxores habebant, fœdus inter ſe iniiſſe, & exercitum communibus ſumptibus conſcribere decreuiſſe: quo Ducatus omnes, omnes Comitatus, atque Dominia, quæ imperio Cliuenſis ſubſunt; ex improuiſo occuparent, atque inter ſe partirentur. Litteræ Mareſchallo Schenckio & alijs quibuſdam è fidelioribus Ducis adminiſtris exhibitæ ſunt, qui confeſtim miſsis ad omnes vrbium, arciumque præfectos nuncijs, illis interdixerunt, ne quem prædictorum Principum, aut illorum miniſtros in vrbes & arces reciperent. At Cliuenſium nonnulli mandatum illud iniquum & durum cenſentes,

ſentes, dicebāt, ſe non decere, vt tantos Principes, affines & hæredes excluderent. Alij verò Dominum à Duren, qui arci Gochienſi & Grietenſi præerat, Hambachium vocârunt: qui & ad dictum diem adfuit. Intereà Mareſchallus & ſui omnes arces occupârunt, validiſque præſidijs munierunt. In Rees quoque, Xanten, Calcar, Gennep & Hinsbergen militem introducere conati ſunt: ſed reſtiterunt ciues; dicentes ſe ſua mœnia defenſuros; externo milite opus non eſſe. Hambachij tandem Doctor VVierus & Ioannes à Megen, qui Principum illorum conatibus fauebant, in vincula coniecti ſunt. Paucis poſt diebus omnis nobilitas in Ducatu Montenſi & Duyſeldorpij recenſetur & luſtratur.

Archidux Albertus poſt expugnatas duas vrbes exercitum luſtrauit, diminutiſque centurijs noua dedit ſupplementa. Exercitus partem Boloniam miſit; quæ in hoſticum Montrolium vſque procurrens, omnia agebat, ferebatque. Magnus inter Gallos erat metus: & quia in agro Bolonienſi aliquot dies ſubſtitit, verebantur ne eam quoque vrbem (vt præcedētes) ſuo imperio ſubijceret. Ceterùm cùm Gallus magnum colligeret exercitum, in quo ſeptendecim millia peditum, & ſex equitum fuiſſe dicuntur, Albertus quietū continuit exercitū, expectans quidnam Galli molirentur. At illi poſt diuturnam Feræ obſidionē laboribus fracti, cū apud

apud Encras aliquamdiu conſediſſent, in agrum tandem Hiſdinienſem effuſi, Auxiam arcem, ad Anthium flumen ſitam, cum Caumontio caſtello, ad nobilium delitias extructo, occupant initio Iunij. Nauium deinde pagum populantur, exuſto templo, vnà cum turri, in qua ruſtici aliquot cum pecore abſumpti ſunt. At trecenti Germani Nauarræo militantes prædatum egreſsi IX. Iunij ad Fileurium vicum, non procul Hiſdino à Barone Auchio, Corradino & Daniele equitum Magiſtris intercepti, cæduntur: periẽte ducenti quinquaginta; ceteri capti ſunt, qui ſummam in Gallorum caſtris commeatûs ærisque militaris narrabant penuriam.

Cardinalis adhuc ſimulabat ſe Oſtendam obſidere velle. Quare Hollandi omni qua potuerunt diligentia oppidum (poterant enim quia erat maritimum) validiori præſidio, commeatu, omnisque generis apparatu bellico, ad diuturnam obſidionem ſuſtinendam, munierunt. At Cardinalis aliam obſidionem meditabatur, de qua paulo poſt dicemus.

Colonienſes iam ſecundò legatos ſuos in Hagam Comitis ad Senatum confœderatorum miſerunt, qui de vi & rapinis militum conquererentur, & amicitiam, quæ inter vicinos eſſe ſolet, flagitarent. Reſpondent Hollandi; ſe iam ſæpius ad Capitulum ſcripſiſſe, ſed vſq; huc nihil in cauſa viduæ Comitis Moerſenſis obtinere potuiſſe. Electorem *Legatio Colonienſium ad Hollandos.*

rem

rem ſæpe pollicitum, tum per ſe, tum per legatos viduæ bonorum ſuorũ poſſeſsionem reſtitutum, & pactam pecuniæ ſummam numeratũ iri. Sed præter verba nil ſubſecutum eſſe. Cùm itaque vidua ſub tutela & protectione Ordinum latitaret, ſe eius cauſæ deeſſe non poſſe: ſed neceſſariò ei (ſi ſolutio & reſtitutio differatur) patrocinari debere; præſertim cùm tertij anni fructus acceſſuri ſint, qui vnà cum ceteris ſoluendi erunt. Id niſi fiat, cœptam executionem continuandam eſſe. In ceteris ſe amicitiam Colonienſium, vt vicinorum, colere velle: ea tamen lege, vt Hiſpanica præſidia Berka & Moerſa expellantur, aut dimittantur. Cùm itaq; Diœcelani intelligerent Hollandorum inſtitutum non aliud eſſe, quàm agros, villas & pagos depopulari & ſanguine, ſudoreque innocentium agricolarum ditari, ideoque ea quæ ipſis erant impoſsibilia poſtulare, pactum cum Iuliacenſibus, Cliuenſibusque inierunt; quo vtrinque promiſſum, prædonibus, Hollandorumue copijs tranſitum in poſterum non fore concedendum. Mareſchallus Scenckius per omnes vtriusque Ducatus prefecturas colonos iuſsit armari, recẽſeri, luſtrari, & in centurias ſub certis præfectis diſtribui. Idem factum eſt in Diœceſi Colonienſi. Non poſt multos dies prræmiatores Hollandi fines Colonienſium deprædantes à ruſticis malè excepti ſunt: effuſa enim in eos agricolarum manus, equos nonnullos

nullos traiecerunt : qua in pugna quidam etiam ruſtici perierunt. Eodem tempore Regij numero circiter DCCCC. propugnaculo fortiſsimo, in ripa Rheni & Vahalis, olim à Schenckio excitato inſidiabantur: ſed detecta illorum machinatione, conſilium euentu caruit.

Albertus Cardinalis poſt Ardæ deditionem, vt diximus, quietum per aliquot dies continuit exercitum, expectans quò Galli molem belli verterent: ſed poſtquam animaduertit eos in præſidia vrbium limitanearum conceſſiſſe, ipſe relicto Hiſdini Marchione VVarenbonio, qui Arteſiã tueretur, Audomaro egreſſus, in Flandriam cum copijs ſub finem Iunij contendit, vt bellum à Gallis in Hollandos conuerteret. Eſt in territorio Vvaſenſi, quod pars Flandriæ eſt, oppidum exiguum, nomine Hulſtũ, quod Mauritius ante ſexẽnium circiter, Parmenſe abſente, & in Gallia bellum gerente occupauerat, mirumq; in modum excitatis varijs extra vrbem munitionibus & propugnaculis cõmunierat: perruptis quoq; aggeribus, vt terra eſt humilior, aqua ſtagnante mœnia circumfuderat, omnemq; oram illam longè lateq; inũdârat. At Albertus iſtis nequaquam perterritus difficultatibus, oppidum hoc expugnare cõſtituit. Quarto igitur Iulij exercitus (quem ante ex induſtria in Brabantiam miſerat, quaſi aliud acturus, aliud ſimulans) partem per Burgerholtium, partẽ *Albertus Hulſtum aggreditur.*

per vrbē ipſam Antuerpianam duxit, Schaldimq́ue tranſportari iuſsit, comparatis ad hoc multis ſcaphis & lembis, multisq; conuocatis nautis, quibus in obſidione vteretur. Tumultuantibus interim Thenis militibus ſatisfieri non potuit, qui ſolidam ſolutionem, & miſsionem liberam, vt cui vellēt militare poſſent, poſtulabant. Quinto Iulij Regij circiter duo millia peditum paruis nauiculis in agrū Hulſtenſem expoſuerunt; qui confeſtim propugnaculum aggeri cuidam ſubſtructū, & ab agricolis hactenus defenſum, ipſis fugientibus occupârunt. Inde in agrum S. Pauli procurrerunt, vbi tota die & dimidia ieiuni, abſque omni commeatu ſubſtiterunt; donec Ronæus cum magnis copijs accederet. Archidux ipſe VII. Iulij cum Principe Auraico egreſſus Gandauo in caſtra contendit, hoſtemq; è duabus munitionibus Clinga & Auſtria eiecit. Deinde Ronæus cum Bourlotio, Coquellio, Riuera, Velaſio, Antonio Cuniga, & Marchione Treuichio per prædia marinis fluctibus ſtagnantia quinque millia militum rapuit, & in inſulam Hulſtanam expoſuit. Hollandi verò vallis, aggeribus, & munimentis ſuis freti, Ronæo inſultantes iactabant; Non ipſi cum Francis, ſed cum Belgis, & viris bellicoſis rem fore. Porrò toto obſidionis tempore fortiſsimè atrociſſimeq́ue dimicatum eſt: multis vtrinque cadentibus, præcipuè ex obſidentibus. Interea Ronæus munitionem

Hulſtum obſidetur.

nem

nem Mauritianam extra oppidum ſitam aggreſſurus, vallum quoddã, itemq; aggerem alium DC. pedes longũm, foſſaque lata cinctũm, expugnare debuit, priuſquã ad munitionem poſſet peruenire. Itaque Sole iam occidente XVIII. Iulij, ipſe cum ſupradictis ducibus, & ſelecta militum manu, tanto conatu vallum iſtud inuaſit, vt hoſtes cum multa cæde ſub mediam noctem loco depulerit. Confeſtim nil morandum ratus, ſub auroram rurſus aggerem illum alium adortus, occupauit; cæſis hoſtibus ducentis, & tribus vexillis cum tormento captis: è ſuis verò vtraque pugna XXV. amiſit: inter quos Palacius, militum præfectus: Vulnerati verò fuêre circiter quinquaginta. Orto verò Sole XIX. Iulij munitionem Mauritianam vndecim maioribus machinis ſine vlla intermiſſione cœpit concutere, donec Hollandi metu perculſi, deditione facta cum armis & impedimentis numero octingenti iſto propugnaculo egreſſi, in Rapenſem ſeſe munitionem reciperent. Interea Comes Boſſutius ex agro Atrebatenſi cum duobus circiter peditum millibus, quos proximè ex Arteſia & Hannonia conſcripſerat, ad Albertum contendit. Dum hęc fiunt, obſeſsi crebris eruptionibus caſtra infeſtabant: quibus è *Zelandia* quotidie commeatus, arma & militum ſupplementa nauibus ſubuehebantur: quod à Regijs non potuit impediri. Hinc factum, vt Hulſtana obſidio fuerit opinione diutur-

 nior,

nior, difficiliorque, & multos viros fortes abſumpſerit: inter quos Ronæus caſtrorum Mareſcallus, reique militaris peritiſſimus, torméti pilâ initio Auguſti ictus occubuit. Eo ſublato bellum nihilo ſegnius adminiſtratum eſt. Hollandi autem XII. Auguſti nauibus ex improuiſo egreſſi, magno tumultu in caſtris excitato, multos ex obſidentibus peremerunt, ſtylis ferreis in ſpiracula duorum torḿetorum adactis. Et rurſus XIV. eiuſdem menſis, obſeſſi animaduertentes Germanos, qui in vallo verſabantur, excubias negligenter agere, eruptione facta in eos inopinatò irruentes, multos occiderunt, maioremque profectò ſtragem edidiſſent, niſi cum ſuis cohortibus Bourlotius oportunè laborantibus opem tuliſſet. Porrò XVI. Auguſti tormentis iam in vrbem cōuerſis Albertus mœnia toto die duobus locis immani fragore feriri iuſſit: oppugnationem verò in ſequentem diem diſtulit, eò quòd anguſtior murorum ruina irrupturis militibus non ſatis pateret. Hollandi interea dum hoſtibus ſtudent incommodare, aditum ipſis in vrbem aperuerunt. Quippe incenſo cuniculo, quem in ipſis mœnibus excauarant, ingenti collapſorum murorum ruina foſſas oppleuerunt, eodemque penè momento Albertus admotis copijs eam diruti muri partem obtinuit; Hollandis in obliquas & flexuoſas munitiones, quas ad ſimiles caſus in vrbe excitârant, refugientibus.

Nec

Nec mora, XVII. Auguſti poſt meridiem ciues cum propugnatoribus perterriti, remiſſa impendente iam periculo peruicacia, qui paucos ante dies nullas conditiones deditionis audire volebant, iam vltro deditionem offerebant. Miſſus in vrbem eſt ab Alberto Philippus Croyus, Comes Soranus & alij ad Comitem Solmenſem, qui vrbi præerat. Hic rem certis conditionibus tranſegit. Ignotum eſt ciuibus; immunitates & priuilegia reddita; ipſiſque facultas conceſſa, aut in vrbe ſub Regis imperio manendi, aut cũ ſupellectile aliò migrandi, bonis tam mobilibus, quã immobilibus diuenditis. Quòd ſi vendere noluerint, poteſtas eſſet illis adminiſtratorem conſtituere. Ipſi autem in vrbibus & locis neutri parti ſubiectis habitare tenebuntur. Qui tempore obſidionis vrbe relicta aliò commigrauerint, his in vrbem redire, ſi velint, licebit. Milites vnà cum Comite Solmenſi Hulſto & munitione Naſſouiana egreſſi, cum armis & impedimentis, vexillis explicatis, & ſignis canentibus in Hollandiam, Zelandiamque (miſſis ad hoc à Mauritio nauibus) transportarentur. Quod & factum eſt. Diſcedentes muniones omnes ad mare ſitas deſeruerunt. Albertus † Vichium, veteranum militum ductorem rebus compoſitis Hulſto præfecit, & XXIV. Auguſti Antuerpiam prætergreſſus, Bruxellas ſeſe recepit. *Hulſtum deditur.* *† Bichium alij.*

Galli toto huius expeditionis tempore

quieuerunt,à quibus Caumontium caſtellũ in agro Hiſdinienſi Idibus Auguſti receptũ eſt. Sub idem tempus ſingulis penè diebus ex Ambiano, & finitimis Picardiæ vrbibus (quas lues ex bello, malorũ omnium fonte exorta, grauiter infeſtabat) Galli cateruatim in Arteſiam transfugientes, accepto cõmeatu & publica fide à Warenbonio, ad Hulſtana caſtra Alberto militaturi contendebant, cauſſati rerum omnium penuriam, quã in Picardiæ finibus patiebantur. Minus crebræ id temporis excurſiones vtrinque in hoſticum factæ ſunt, dum ſcilicet Atrebates & Picardi, qui totam belli molem ſuſtinebant, inani ſpe pacis, aut induciarum (cuius rei cauſſa Richardotius Caletum veniſſe dicebatur) lactantur: quam ſpem Gallorum in Arteſiam irruptio Bironij ductu penitus ſuſtulit: de qua infra dicemus, vbi commemorauerimus prius, quid his menſibus alijs in Regnis & prouincijs actum eſt.

Gallia cum vicino Belgio, cuius Principes eodem ſanguine nati tot affinitatibus poſtea coniuncti fuêre, nullis fœderibus, nullis inducijs, nulla pacis tranſactione cõſtringi potuit, vt tranquillè viueret, aut irã deponeret: ſed bellum ex bello ſerens, ſuam quouis tempore maniam oſtendit: non tam alios, quàm ſemetipſam lædens, & tanquam furioſa dilacerans. Sub Franciſco II. ſub Carolo IX. ſub Henrico II. optimè Galliæ cũ Belgio conueniebat: ſed cùm Henricus vio-

lato

lato iureiurando à ſacro fœdere deficiens, Guiſios tam fœdo latrocinio ſuſtulit, denuò in bella noua, nouaſque Procerum ſocietates itum eſt. Laboranti Guiſiorum, omnium que Catholicorũ parti Philippus II. Hiſpaniarum Rex opitulari fœderis ratione tenebatur. Occiditur paulo poſt Henricus, Deo innocentem ſanguinem vlciſcente. Tranſit Regnum in familiam Regis Nauarræi; qui dum Hugonotticæ faueret factioni, fœdus cum Angla & Belgis Caluiniſtis percutit: cui ne ad Catholicam fidem reuerſus renunciare voluit, ſed quibuſcunque modis potuit Hollandis, Zelandiſque opem aduerſus Regem Hiſpaniarum, legitimum ſuum Principem tulit, vti & Rex Philippus Catholicis Gallis cum ſuo Rege pugnantibus. Hinc tot iam annos bella geſta, tot gladiatorum paria committuntur, in alienam libidinem tot miſeri cadunt, tot vrbes ruunt, tot agri flagrant, tot ſcelera patrantur:

O furor, ô cæci maleſuada inſania mundi;
Munde furens, quid nõ mortalia pectora cogis?
Cælos permiſces terris, & ſacra profanis:
Cùm tibi pace frui liceat, cur prælia mauis?
Cur ignẽ ferrumq; in propria viſcera condis?

Magnas de Gallis victorias Regis Hiſpaniarum, auſpicijs Archiducis Alberti partas, hactenus commemorauimus. Gallus, ne quod Regnum maius detrimentum acciperet, numeroſum exercitũ coêgit, omnemq; nobi- *Gallus exercitum conſcribit.*

nobilitatem euocauit, quam Montrolij luſtrauit, expectans aliquot peditum, equitumque millia ex Prouincia: vt cùm omnes conueniſſent, aliquid in hoſtem tentaret: ſed fames, peſtis & inteſtina diſcordia fecerunt, vt tardè omnes conuenirent, & tardius in caſtra educerentur. Maſsiliæ per hos dies tumultus exortus, parum abfuit, quin magni alicuius mali origo & cauſſa fuiſſet. Iunior enim Guiſius, vrbis huius præfectus, dum muniendæ vrbi intentus eſt, à quodam ignoto tormentaria ſphæra petitur: ſed Deo illum protegente, ictus fuit irritus. De ſceleris huius authore varia fuit coniectura: dum quidam factum hoc Eſpernonij, alii Caſſaultii, olim Conſulis filii crederent.

Iunior Guiſius glande tormentaria petitur.

In Picardia, viciniſque prouincijs Nauarræus copias multas collegit, omnibuſque vrbibus & pagis inter Sequanam & Somonam imperauit, vt vetera ſigna militaria nouo additamento ſupplerent, noua etiam vexilla erigerent, & ſuis ſumptibus alerent: quod vt facere commodius poſſent, Rex illis vectigalia, aliaque onera, quibus quindecim annos grauati fuerant, benignè remiſit. Ipſe autem Rex Lutetiam profectus, exequiis Principis Mompenſerii, Ducis Guiſii ſororis interfuit. Interim omnia tormenta Fani S. Quintini, & in vrbe Ferenſi ad expeditionem aliquam iuſsit præparari. Decimo deinde Iunii Ambianum venit: cumque præcepiſſet quaſdam machinas bellicas inde Ab-

bauillam tranſportari, eodem die Ambiano cum ſumma celeritate diſceſsit.

Cùm iam Maſſilienſes variis litteris, legationibuſque Reip. Genuenſi, & Principi Doriæ inſtitiſſent, vt liberè nauigare, pelagoq; Liguſtico vti poſſent, nec id impetrarent, cœperunt & ipſi piraticas aliquot naues inſtruere; quibus aduerſus Hiſpanos, eorumque ſocios vti decreuerunt.

Inter conditiones, quibus Nauarræus reconciliationem & abſolutionem à Summo Pontifice obtinuerat, hæc vna erat, vt ſi Rex ſine legitima prole, ſeu hærede maſculo moreretur, iunior Princeps Condæus ipſi ſine vlla controuerſia in Regno ſuccederet. Vt autem is in Catholica Romana Religione educaretur, cautum eſt, vt primo quoque tẽpore Romam educandus mitteretur, ibique certum aliquod tempus permaneret: Pontifex ei palatium Principe dignum præpararet. Huic conditioni vt Gallus ſatisfaceret, omnem apparatum facit, vt Marchione Piſoni comitatus Romam mittatur. Eodem tẽpore Tholoſæ ſimultas quædam inter Ducẽ Ioioſium & ciues orta eſt. Cauſſam præbuit, quòd Dux peregrinum militem ad corporis ſui cuſtodiam adhibere voluerit: quod ciues nequaquam illi permittendum duxerunt, ſed vt cuſtodes ſui corporis indigenas, pro antiqua conſuetudine, eligeret, inſtiterunt. Quia verò Petrus Toletanus Meſſenæ nouum militem conſcripſerat, nauesque

Condæus Romam mittitur, vt Catholicè educatur.

deſcendere iuſſerat; Carolus quoque Doria, cùm triremibus, in quibus panis bis coctus, aliuſque commeatus erat, in Sardinia noua mandata expectabat, vehementer aucta eſt ſuſpicio, Hiſpanos Maſſiliam obſidione cincturos eſſe.

Legationes Regis Galliæ ad Pontificem, & Pontificis ad Regem.

Nondum Rex Galliæ omnibus conditionibus, in quas iurârat, antequam ab excommunicatione abſolui potuit, ſatiſfecerat. Metuens itaque ne hæc mora Pontificem offenderet, aut ei ſuſpicionem aliquam ſiniſtram generaret, legatum Romam miſit, qui in pleno Patrum Purpuratorum conſeſſu Regem excuſauit, cur promiſſis ſatisfacere nondum potuiſſet: cauſſam omnem in neceſſarium, quod gerebat, bellũ, & in Reghi ſui defenſionem reijciens. Paulò poſt alios duos legatos, magnæ authoritatis viros Rex Romam miſit, quorum vnus nomine Regis Pontifici debitam promiſit obedientiam, alter eum purgauit, quòd fœdus cum Angla iniiſſet: velle tamen ſe obedientẽ Romanæ Eccleſiæ filium eſſe, ſemperque permanere. Menſe deinde Auguſto Pontifex viciſſim legatum in Franciam ad Regem miſit, qui Lutetiam ſolenni cum pompa introductus, magnificè à Rege acceptus eſt. Legationis ſumma erat, vt beneuolum Summi Pontificis erga Regem animum exponeret, eum ad pacem cum Rege Hiſpaniarum hortaretur, & in Catholica fide corroboraret. Vt autem Rex oſtenderet, quanti Pontificis benedicti-

onem

onem faceret,& qua reuerentia Sedem Romanam amplecteretur,legatum extra vrbē, in ædibus ad voluptatem extructis inuiſit, epuloque regio excepit. Sub finem Auguſti peſtis cœpit Lutetiæ denuò graſſari, quamobrem Rex,Parlamentum, Legatus Apoſtolicus,& omnis aula relicta Lutetia ad Fanū S.Mauri ſeſe recepit:vbi Legatus Apoſtolicus ſæpecum Rege collocutus eſt. Eodem & legati Nobilitatis Gallicæ venerunt, flagitantes vt Edictum in Ianuario conceptum ratum habeatur, & illius executio inſtituatur.Quod ſi fiat;promittere ſe omnem obedientiam, magnaque auxilia militum & pecuniæ ad bellum neceſſariæ. Interea Dominus Vaudemontius cum quinquaginta alijs Comitibus & Baronibus egregiè inſtructis, & multis copijs militaribus comitatus,cum licentia Ducis Lotharingiæ ad Regem profectus eſt;quo tempore famæ datum eſt,Ducem Nemourium, Guiſium, Mœnium & Mercurium Regi inſidias ſtruere, & à Ronæo,quondam Regis ſecretario,detectas eſſe:quod tamen poſtea falſum,&,ab iſtorum Principum æmulis ac hoſtibus confictum eſſe compertum eſt.

Furores Anglorum quis commemorabit? Ingens illa claſſis Anglicana, Hollandicis, zelandicisque nauibus aucta, iam omnibus rebus ad bellum inſtructa, cum triginta circiter armatorum millibus circa finem Maij Douera,alijsque è portubus diſcedens, Pli- *Expeditio Anglorū in Hiſpaniam.*

mothảm nauigat. Hic præfecti milites in terram exponunt, exercitum perluſtrant, inſtruunt tyrones, reficiunt omnes, donec ventus magis ſecundus cœpit aſpirare. Omnia Ducum conſilia tam erant arcana, vt quò claſsis tenderet, quid tentatura eſſet, admodum pauci cognouerint. Cùm itaque totus exercitus in naues receptus eſſet, vela ventis dederunt, & 29. Iunij in Hiſpaniam appulerunt. Mox Portugalliam prǽternauigantes, mare Gaditanum ingreſſi in conſpectu Gadium 30. die conſtiterunt. Stabat hîc non exigua claſsis Regis Hiſpaniarum, quæ portum tueretur, & cum hoſte confligeret. Quæ cùm hoſtilem claſſem eminus conſpexiſſet, confeſtim omnia ad pugnam præparauit. Idem fecerunt Angli. Hiſpani claſſem ſuam in formam lunæ ſemiplenæ conſtituerunt: erant in ea (vt quidam volunt) quatuor Galeones, quarum ſingulæ mille circiter pedites vehebant, & triremes viginti duæ. Prætoria nauis S. Philippi nomine inſignita ante aciem ſtabat, cum alia S. Andreæ. In has Prætoria nauis Anglorum inuecta, diu atrocíſsimè pugnauit. Cùm autem periclitaretur hæc, aduolat Archithalaſſus Hollandorum: deinde naues aliæ, quæ omni ex parte pugnando, maioribusque pilis verberando, ita nauim lacerârunt, vt propugnatores animum deſpondentes, partim cæſi ſint, partim enatauerint. Ipſa autem nauis ab hoſtibus occupata vnà cum alia incenſa eſt. Pugna

hæc

hæc erat atrociſsima, nec victoribus incruenta. Nam ex Anglorum claſſe tria maiora nauigia, multaque minora depreſſa ſunt: Hiſpanica claſsis amiſsis S. Philippi & S. Andreæ nauibus, magnitudinem & vires claſsis hoſtilis conſpiciens, in tutum ſe recepit: Angli in inſulam egreſſi, magna contentione, omnique armorum genere oppidulum antiquum Gades oppugnârunt. Qui in eo erant Hiſpani fortiſsimè ſeſe defenderunt, maximā ſtragem in oppugnātes ediderunt, & hoſtium vim diu ſuſtinuerunt. Sed cùm locum non ſatis munitum, vt qui mari ſe potiùs, quàm firmis mœnibus, vallis & foſsis tuetur, haberent, multitudinem hoſtium cōſpicerent, & ſuppetias tam anguſto temporis ſpatio non expectarent, arma abiecerunt, & pro virili quò quiſque potuit fugit, oppidum hoſtium poteſtati relinquens. Angli & Hollandi oppidum ſanguine ſuorum emptum potiùs, quàm expugnatum, (tria namque millia Anglorum & cæt. in hac oppugnatione deſiderata nunciârunt ipſi qui III. pòſt Auguſti reuerſi ſunt) ingreſſi, mirum in modum in omnes cuiuſcunque ſexus & ętatis homines ſæuierunt, nulli parcentes, ſed obuios quoſq; interficientes, aut in miſeram captiuitatem trahentes. Deinde oppidum totum ita ſpoliârunt, vt nihil in eo alienius pretij relictum ſit. prædam omnem in naues intulerunt. Hæc tanta victoria mox in vniuerſum orbem Chriſtianum

Gades expugnantur.

eſt

eſt diuulgata: non quidem qualis ea eſſet, ſed multis afflictis, quæ eam triplo quàm erat maiorem efficiebant. Multis namque litteris diſſeminatum eſt, Anglos poſt captas Gadès extemplò cum omnibus copijs ſuis pontem, quo ex inſula in cōtinentem itur, expugnaſſe, & diruiſſe. Inde portum S. Mariæ occupaſſe, præcipuam nobilitatem occidiſſe; Luciferi fanum (vulgò S. Lucar) deditione accepiſſe: Nobilium aliquot centurias, qui munitionem in eo oppido toto quatriduo defenderant, ſe hoſtium poteſtati dediſſe. Hoc oppidum vnà cum præcedente direptum in flammas, cineresque redegiſſe: Hiſpalim iter inſtituere, incolas incredibilé pecuniæ vim offerre, ne vlterius Angli progrediantur. Interea qui in inſula erant LX. naues precioſis mercibus oneratas, quæ in Nouam Hiſpaniam nauigarent, diripuiſſe & incendiſſe: in ijs inuentum theſaurum inæſtimabilem. Addebant quinque triremes Barbaricas claſſi Anglicanæ acceſſiſſe, earum præfectos nunciare, Algeriæ Regem in armis eſſe, quinquaginta millia armatorum collegiſſe, Anglis poteſtatem in Barbariam ſeu Mauritaniam nauigandi, & inde redeundi, commeatumq; exportandi feciſſe: Anglos itaque captas aliquot naues in Mauritaniam miſiſſe. Hęc aliaque multa his ſimilia comminiſcebantur, qui Anglorum partibus ſtudebant, quæ quiſque pro ſuo in Regem Hiſpaniarum affectu diminuebat,

vel amplificabat, donec tandem veritas ipſa tempore confirmata eluceſceret. Compertum eſt enim Anglos poſt Gadenſis oppiduli expugnationē nihil amplius præclari geſſiſſe. Naues illas in Hiſpaniam nouam ituras ab ipſis Hiſpanis partim in terrā ſubductas, partim incenſas, ne in manus hoſtium venirent: quaſdam interim merces ab Anglis direptas. Pontem egregiè & fortiter ab Hiſpanis defenſum; Anglos cum ignominia reiectos. Pontem hunc (cùm multum eſſet ad hoc bellum allaturus momenti) cùm expugnare non poſſent, & mora Hiſpanis daretur, tantus regnicolarum confluxit numerus, vt Angli videntes ſe nil præclari amplius præſtituros, de prę da conſeruanda, & in patriam reditu cogitare cœperint. Diſplicebat hoc conſilium Hollandis & Zelandis, tanquam pacto contrarium. Conuētum enim inter Anglos & Belgas erat, bellum omne in Hiſpaniam transferre, ibiq́ue tam ſtrenuè rem agere, vt de bello Belgico Rex non eſſet amplius ſolicitus. At Angli innatam ſibi furandi, prædandiq́ue oſtendentes libidinem, cùm omnia in naues ſuas intuliſſent, incēſis Gadibus, lectis anchoris, expanſiſq́ue velis per mare Gaditanum in Athlanticum reuerſi ſunt: vbi cùm ſocias etiam Hollādorum aliquot naues diripuiſſent, in Angliam reuerſi ſunt. Indigniſſimè tulerunt hanc Anglorum ignauiam, & auaritiam Ordines confœderati Belgici, optabantq́;

tabantque nunquam ſe hanc expeditionem ſuſcepiſſe: ſed ſera hæc erat pœnitentia. Quid? nec ipſa Regna factū ſuum probabat, cùm centeſimum nummum expenſarum in inſtructione nauium factarum victrix hæc claſſis minimè reportaret. Hæc eſt victoria expeditionis illius claſſicæ, quæ totum terrarum orbem domitura videbatur: Hiſpaniam, omnes inſulas maris Mediterranei, magni quoque Oceani, cum vtraque India certa iam ſpe deuorârat: ipſumque nomen Hiſpanum cum omnibus bellis opinione ſua deleuerat. Reuocent itaq; Francus, & alij ſuas Relationes & Continuationes ad incudem, & diſcāt tam calidos rumores chartis non committere, cùm ego certè hanc expeditionem citius ab Anglis, populo ambitioſo, & pręclara ſua facta vbique venditante, quàm à Germano expectâram: ſed laudem illi videbant minorem, quàm quę in omnem terram eſſet exportanda. Ad Italica conuertatur narratio.

Hæc ceteris Regnis & prouinciis quietior erat, vt quæ præcedentium ſeculorum bellis didicit, quanta ſecum mala trahat bellandi cupiditas. Duo tamen hanc regionem, alioquin feliciſſimam infeſtabant, Turca & miles mercenarius: Turcarum enim Imperator ſuis claſſibus Italiæ littora ſæpe infeſtabat, & ipſi Itali ſub omnibus ferè nationibus ſtipendia facientes, propriam patriam depopulabantur, viduas & orphanos, luctu & miſe-

& miſeria replebant. Magna erat difficultas, imò controuerſia inter Cæſarem & Pontificem propter inueſtituram (vt vocant) Ducis Ferrariæ, ad quam Imperator Cæſarem de Eſte promotum iam ſecundò multis rationibus, perſuaſionibuſque à Pontifice flagitabat. Ad quam Cæſaris petitionem Pontifex, vt antea, reſpondit: ſe de deceſſorum ſuorum bullis & litteris nihil derogare poſſe, aut velle. Vndecimo deinde Aprilis Pontifex ſolito more Bullam in Cœna Domini contra omnes hæreſes proclamari iuſſit: ipſe interim diſtributione palmarum benedictarum, ablutione pedum, benedictionibus populo impartiendis, aliiſque piis ceremoniis occupatur. At 24. Aprilis Pontifex magnificam legationem in Poloniam miſſurus, Cardinali Caietano antiquam legatorum crucem tradidit; qui deinde dimiſſo Cõcilio per portam Angelicam cum 30. Cardinalibus, multaque Romana nobilitate domum deducitur. Tertio poſt die idem Cardinalis, centum nobilibus comitatus, iter ingreſſus eſt. Decretum eſt illi pro familia menſtruum mille quingentorum ducatorũ. Hunc in vſum ei lxxv. ciↄ. ducatorum repręſentata ſunt. Addita centum viginti ſeptem millia nummûm, quæ in nobilitatem Polonicam diſtribueret, ſi fœderi contra Turcã velint ſubſcribere. Per eoſdem dies Pater Gariglias Tranſyluani Principis Confeſſarius Romam venit, cuius commendatione

Cardinalis Caietanus Legatus in Poloniam.

motus

motus Pontifex, præter auxilia menſtrua antea promiſſa, Tranſyluano lx.cIↄ. ducatorũ ad vſum belli Turcici decreuit. Gariglias inde ſtatim in Hiſpanias profectus eſt ad Regem, vt ab illo quoque Principi ſuo auxiliũ impetraret. Genuam interea triremes aliquot Barcinona venientes appulſæ ſunt, quæ incredibilem auri, argentique vim, ad certos mercatores pertinentem, aduehebãt. Nauigium Ioannis Iacobi Siluani, quod 80. homines, & merces centum nummûm millibus æſtimatas vehebat, ſub inſula Minorica merſum eſſe ferunt. Exules, quos Banditos vocant, per hoc tempus totam Italiam infeſtam habebant, quare Pontifex præmiũ, quod pro ſingulis eorum capitibus Romam allatis dari conſueuit, renouari, augerique iuſſit: quem in vſum duodecim coronatorum millia depoſuit. Spe huius præmij illecti plurimi, exulibus inſidias ſtruxerunt, & 3. Maij 12. eorũ capita in Vrbem illata ſunt. Quo tempore duo Siculi Apoſtatę, qui Cliſſam tradiderant Turcis, Romam venerunt, in Eccleſiam recipi cupientes, & Pontifici multos Turcarum conatus explicantes. In regno etiam Neapolitano xl. ſigna peditum ſub imperio magni Prioris Vngariæ colligebantur.

Hiſpaniarum Rex Philippus cùm intellexiſſet difficultatem, quam Pontifex in inueſtiendo Duce Ferrarienſi faciebat, litteras amicitiæ & beneuolentiæ plenas ad Du-

cem ſcripſit,quibus eū conſolabatur, bono eſſe animo iubet, & propoſitum ſuū in mittendo contra hæreditarium hoſtem Turcam auxilio, ne mutet, hortatur: fore enim vbi Pontifex eius zelum in iuuanda Rep. Chriſtiana viderit,vt inueſtituram facilius admittat. Ad quod Rex omne ſuum ſtudium & beneuolentiam Duci offert. Interea Romæ in Concilio Cardinalium decretum eſt, vt Cardinalis Florentinus cum cruce legati in Galliam proficiſceretur: comitarentur eum aliquot Epiſcopi,qui virtute bullæ Pontificiæ Regem inducerent, vt ſecundùm promiſſionem ſuam hæreſin Caluinianam publicè deteſtetur,& abiuret. *Rex Hiſpa. ſcribit Duci Ferrarienſi.*

Viceſimo primo Maij Romæ denuò quatuor Banditæ,Angeli Ferri ſocij,qui Archiepiſcopum Tarentinum, & Epiſcopum Caſtellanetum diu captiuos habuerant, immaniterq́ue tractârant,graui ſupplicio necati ſunt. Ipſo etiam die celebris Bandita Atlas Quatericus Romam captiuus perducitur; de cuius ſupplicio varia ferebantur. Vt autem viæ tutiores eſſent, Pontifex multas operas conduxit, qui ſyluam non procul ab vrbe, ad viam quâ Velitrum itur, ſuccidérunt. Dum hæc Romæ aguntur, aliis Italiæ locis de bello cogitatur. Turcarum ductor Murates Rais cum claſſe littora Siciliæ legens, non procul Agrigento in terram deſcendit , & multas incolas captiuos fecit. Contra hunc & alios hoſtes Prorex denuò

ſex peditum millia conſcripſit, quibus Carolus centurio imperaret. Omnia Italię littora contra hoſtem munita ſunt. Septuaginta etiam duæ triremes inſtructę cum quibus ſenior Princeps Dorię in Hiſpaniam nauigaret, ad defendendum ea loca, quibus hoſtium aduentus maximè timebatur. Pontifex interea nouos aliquot Cardinales creauit, proteſtatus antea, etſi hæc creatio proprio à ſe motu fieret, non potuiſſe tamen Regi Hiſpaniarum hoc officium negare, quin aliquos etiam Hiſpanos crearet: quòd ipſe fulcrum ſit Catholicæ religionis, cui in hac decrepita ætate id negandum non erat: ſed potius hac in re gratificandum & ſatiſfaciendum. Reuerſus ſub id tempus ex Vngaria Aldobrandinus Pontificis nepos, & copiarum Eccleſiaſticarum ductor, Venetiis magnificè acceptus, & liberaliter donatus cum tribus triremibus Anconam deductus eſt. Quo tempore Marchio Marignanus à ſuis ſubditis occiditur, eò quòd multis nouis & inconſuetis vectigalibus, aliiſq; oneribus eos grauaret. Decretum inſuper eſt ab incolis, ſe nullos vnquã Marchiones ex eius familia admiſſuros.

Marchio Marignanus à ſuis occiditur.

Menſe Iunio Pontifex publico edicto mãdauit, vt omnes Prælati, nobiles, & alicuius dignitatis viri Romæ cõmorantes, infra certum tempus omnia debita ſua ſoluerent. Id qui nõ fecerit, mulctã incurreret, & ipſa Camera Apoſtolica ex eius bonis creditoribus

ſatis-

ſatisfaceret. Tunc primùm nuntius de capta Cliſſa Romam peruenit, quam cladem tanto animi cruciatu tulit Pontifex, vt vberrimis eam lachrymis defleuerit. Sed mitigauit hũc eius dolorẽ aduentus legati Principis Trãſyluaniæ, qui omnes Principis ſui victorias contra Turcã ei expoſuit: cuius relatio Pontifici tã grata fuit, vt confeſtim Trãſyluano noua, eaque maiora, quàm hactenus, auxilia promiſerit. Magna erat hoc tẽpore non Romæ tantùm, ſed per totã Italiã frumenti penuria. Pontifex vt huic neceſſitati remediũ inueniret, 40. menſurarũ iſtic vſitatarũ, millia in vſum vrbis emi iuſſit. Cardinalẽ quoque Iuſtinianum in Sardiniã & Siciliam miſit, qui in vtraq; inſula 10. millia colligeret. Hoc Pontificis exemplũ alij Principes imitati ſunt, effeceruntq́; vt ſuis frumentum ad meſſem ſuppeteret. Circa finẽ Iunij Romæ 2. noctis hora Cometa in Occidente viſus eſt, cuius cauda in Orientẽ extendebatur. Idem in multis Germaniæ locis, ſed citius, & quidẽ Francof. ad Mœnũ ſtatim poſt x. horã apparuit. Obſeruaſſe ſe quidã Aſtron. Auguſtanus ait, Cometã hunc 65. mill. in longitudine habuiſſe, & alii mortem magni cuiuſdam Principis prædicere confirmant. Per eoſdẽ dies 160. Bãditæ Aſcoli, dũ ciues in tẽplo diuino vacãt myſterio, cæſis excubitoribus, portã primò, dein palatiũ Gubernatoris occupãt, multisq; trucidatis, oppidũ deſeruerũt, vno deſiderato, qui viuus in manus Gu-

Fames per Italiam.

bernatoris deuenit. Turcicę claſſis vires fama per Italiã quotidie augebat, metuebãtq́; Principes, ne quid detrimenti Reipu. Chriſtianæ inferrent. Quare vbique triremes inſtruebantur. E Sicilia Princeps Doria menſe Auguſto nauigauit, Petrum verò de Toledo cum XXII. triremibus, Petrum de Leua cũ Genuenſium triremibus, & filium ſuum Carolum cum claſſe in diuerſas oras miſit. Acceſsêre Melitenſium, Pontificis & Tuſciæ naues, conſtabatq́ue tota claſsis nonaginta triremibus. Hanc, vt diximus, diuiſit, vt in omnem euentum vna pars alteri poſſet ſuccurrere. In hanc claſſem iuxta Corcyram naues quædam Anglicæ inciderunt, quæ à triremibus Hiſpanicis captæ, & omnes qui in illis inuenti ad remos dãmnati ſunt. Claſsis Turcica centum triginta nauium iuxta Nouarinum ſe nonnunquam oſtentabat, quam vt in altum elicerent triremes Chriſtianorum, ſæpe circum velificabant.

Claßis Chriſtianorum.

Hiſpaniæ bellum erat cum toto penẽ terrarum orbe. Pauci enim erant inter Principes ſeculares (Auſtriacos excipio) qui cum illa bellum manifeſtum non gererent, aut illi occultè non malè volebant: omnium tamen iras & inuidiam ſuperabat. Domi enim omnia pacata erant, & foris res maximas pecunia & armis gerebat. Decreuerat quarundam prouinciarum Belgicarum defectione, creuerat totius Regni Luſitanici, cum tot in mari Athlantico, & Oriente inſula-

inſularum acceſsione: tantos quotannis auri, argentique theſauros ex vtraque India conſequebatur, vt ad totum orbem expugnandum (ſi fides in mundo eſſet) ſufficerent. Cum Gallo, Angla & Hollandis illi præcipuè res: qui in ſocietatem belli alios etiam Principes trahebant. Cum Gallis & Belgis æquo Marte ita pugnabat, vt victrix ſæpius quàm victa præcedentibus annis redierit. Angla potentior nauibus, & rei nauticæ peritiores habens incolas, multum Hiſpaniæ negotij faceſſebat, & quidem hoc anno, vt diximus, Gaditanam cladem, multo tamen ſuorum ſanguine, intulit: quam victoriam cùm proſequi propter maximas Hiſpanorum confluentium copias non poſſet, exiguam inde laudem reportauit. In ceteris Hiſpania hoc anno quieta fuit, & duabus opulentiſsimis claſsibus, aurum, argentum, aliaque pretioſa aduehentibus locupletata. Rex menſe Maio acuta febre laborabat; ſed poſt aliquot ſeptimanas ex hoc morbo conualuit. Interea legatus Turcicus in Hiſpanias appulit, qui prorogationem induciarum inter Sultanum ſuum, & Regem Philippum petijt, impetrauitque. Eodem menſe Maio, vt quidam ſcribunt, legati ex Africa Madritum venerunt, petentes à Rege viros doctos & pios ſibi mitti, à quibus in fide Catholica inſtituantur; Milites quoque à quibus aduerſus vicinos hoſtes defendantur: promittentes ſe quotannis in compenſatio-

Rex Hiſpa. ægrotat.

Legatio Africana.

nem tanti beneficij Hiſpali tres auri milliones miſſuros. Id ſi verum ſit, credibile eſt eos legatos ab Alexandrino Patriarcha, omnibusque locis illis, vbi Chriſtiani Græcorum ſchiſma hactenus ſectantes, miſſos eſſe; qui anno 1595. corã Pontifice Clemente VIII. in conſeſſu Cardinalium, ſchiſmate abiurato, Catholicæ fidei Sedique Roman. ſe ſubiecerunt. Quam legationem Cæſar Baronius Annalium ſuorum tomo ſexto ipſis legatorum verbis, & Patriarchæ, ceterorumq; Metropolitarum & Principum litteris confirmat. Menſe Iulio claſſis Indica Vlyſſiponam appulſa, theſaurum 20. millionibus auri æſtimatum attulit. Claſſiarij famæ dederunt Indos Regi Hiſpan. 10. auri milliones dono dare decreuiſſe, imò iam Regi obtuliſſe, vt facilius bella cum hoſtibus conficeret. Menſe Auguſto Adelantado Caſtellæ, Archithalaſſus claſſis Hiſpanicæ, aliquot naues Anglicas inſecutus, cum ijs acriter pugnauit, deuicitque, & captis claſſiarijs naues in portum adduxit, in quibus multæ merces, auri argentique copia, quam in Angliam tranſportare volebant, inuenta eſt.

Germania hac æſtate tota fuit pacata, nec aliquid quod ſciam in ea accidit commemoratu dignum. Viceſimo quidem Maij Argentorati quatuor fratres, & quædam mulier, ob multa quæ perpetrârant latrocinia extremo ſupplicio affecti ſunt: tres fratres ſeniores

niores rota, quartus tredecim tantùm annorum puer, vnà cum muliere, gladio. Quadraginta homines iugulaſſe compertum eſt. Decimo Iulij nauis ſeu ponto inter Tuitium & Coloniam ſubmerſa eſt, in qua triginta homines perierunt: quod infortunium portitoris incuriæ adſcribitur. Simile quid Berkæ ad Rhenum eodem menſe accidit, & Duijſeldorpij: ſed in hac naui, quod Rhenus eſſet vadoſus, nemo hominum ſubmerſus eſt. Decima quarta Auguſti, ſtylo veteri, Ludouica Iuliana, Principis Auraici filia, Frederici Palatini vxor filium Ambergæ marito ſuo peperit. Sed hæc cùm priuata ſint, & communia, multis enarrare quid operæ pretium eſt? Ad Turcica, & quę ab ijs dependēt, veniamus.

De rebus Turcicis dicturi, ſimul etiam de Vngaricis, Boëmicis, Polonicis, Tranſyluanicis, & aliarum vicinarum prouinciarum, tāquam ad eaſdem pertinentibus, dicemus. Capta à Turcis Cliſſa, fruſtra obſeſſa Lippa, varijs locis cæſis & fugatis nunc Turcis, nūc Chriſtianis, Cæſar & Tranſyluanus ad Pontificē, & diuerſos orbis Chriſtiani Principes legatos mittunt, opem eorum implorantes: ipſi etiam vndecunque poſſunt copias contrahunt, quas Turcis obijciant. Mēſe Maio, vt hinc ordiamur, Turcæ in hoſticum procurrentes, quinquaginta currus, varijs mercibus onuſtos, ad nundinas Agrienſes proficiſcentes, interceperunt, capto

vno ſatellite cum vxore. Quos Caſſouienſes mox inſecuti ſunt: at illi in tutum euaſerũt. Eodem tempore Viennam Auſtriæ duo Monachi venerunt, qui nomine quorundam Comitum, Nobilium & totius populi, prouinciam quandam inter Boſniam & Dalmatiam, Heroguniam nomine, Suæ Cæſareæ Maieſtati obtulerunt: eius protectionem implorantes, promittentesque in vſum belli Turcici tredecim millia armatorum, hac lege, vt Cæſar ipſis vexillum, Aquila Imperij, & Cruce Burgundica inſignitum tranſmittat: ducem quoque belli expertem, & tria peditum millia, arma denique nonnulla ad quaſdam copias inter ipſos inſtruendas.

Schambocã à Christianis occupatur.

Sexto Iunij Auſtriacæ copiæ Altenburgum Vngariæ profectæ ſunt: Octauo deinde inter horam quintam & ſextam veſpertinam Chriſtiani ſingulari ope Dei Schambocam, inter Strigonium & Albam regalem, locum munitiſsimum, poſt trium horarum horrendam oppugnationem expugnârunt. Erant in hac munitione equites & pedites lectiſsimi, quales in finibus iſtis nulli reperiebantur: Ianitzari quoque 52. ex his omnibus nullus euaſit; ſed aut ferro aut igne periierũt. E Chriſtianis deſiderati ſunt ſeptem, vulnerati 26. Magnam laudem in hac expeditione Germani & VValones promeruerunt. Incendium equos abſumpſit, & omnia penè deformauit: quod reliquum erat, tur-

ris,

ris,in qua puluis ſulfureus ſeruabatur,concepto igne funditùs euertit. Eodem tempore fama allata eſt Tranſyluanum Mareſcum, locum bonum vectigalibus celebrem, & Turcis quæſtuoſum occupaſſe. Turcæ viciſſim Caloenſem agrum continuis excurſionibus depopulabantur: ita vt coloni iuxta Solnociam magnis copijs fugerent. Sed & tria Raſciorum millia cum vxoribus & liberis fugere volentes,proditi,omnes à Turcis ad internecionem cæſi ſunt. Quo tempore ducenti Haiducci Erlauienſes in excurſione quadam multos Turcas & Tataros trucidârunt,centum generoſos equos, quadraginta capita, & quoſdam viuos,inter quos Vicarius Solnocenſis, adepti ſunt. Prædam quatuor ducatorum millibus vendiderunt. In agro etiam Temeſvvariano pugna inter Tranſyluanum & Tattaros Turcasque commiſſa eſt;in qua Tranſyluanus victor extitit. Legiones,quas inferior Rheni circulus miſerat,circa hæc tempora luſtrabantur. *Mareſcum capit Tranſyluanus.*

Miſerat initio veris Cæſar legatos ſuos,Epiſcopum Preslauienſem,& D.Gallum Poppelium in Poloniam ad comitia Varſouienſia,vt peterent,ne Poloni pacem cum Turcis ineant:Inter omnes enim Principes Chriſtianos,præſertim Catholicos, nullus in hoc bello minus profuit Reipublic. Chriſtianæ Polono.Quod quidem naturæ & indoli optimi Regis minimè eſt adſcribẽdum, ſed ijs, qui Regis animum occupârunt, & omnia *Legatos Cæſaris ad Polonum.*

pro voto moderantur: inter quos Ioannes Zamoſcius, magnus Cancellarius, qui cum Tataris & Turcis occulta conſilia habere nó tantùm videbatur, ſed palam dicebatur, & ad cuius arbitrium omnia in Polonia gerebantur, author erat & anteſignanus. Polonos igitur vt flecterent, & ſi non poſſent ad commune fœdus inuitare, ſaltem vt à fœdere cum Turca auocarent, laborabat Pontifex, Cæſar, Principes Germaniæ. Scripſerat etiam ad Polonos Pontifex, ſe legatum ſuũ ad Comitia Varſouienſia miſſurum; eam ob cauſſam Comitia prorogabantur. Tandem Cardinalis Caietanus Legatus Viennam venit, & menſe hoc Iunio ad prædicta Comitia profectus eſt.

Archidux Matthias Tirolenſi Comitatui, & Maximilianus bello Turcico præficitur.

Summus belli Turcici imperator hactenus fuerat Archidux Auſtriæ Matthias, Cæſaris Rudolphi frater: obierat iam verò Ferdinandus Cæſaris patruus, Comes Tirolenſis. Ne igitur tam opulentus Comitatus, vicinæque prouinciæ ſine adminiſtratore relinquerentur, Archiduci Matthiæ hæc adminiſtratio à Cæſare demãdatur, & Archidux Maximilianus loco fratris bello præficitur, qui 12. Maij Pragam ad Cæſarem fratrẽ profectus, ibidem aliquamdiu ſubſtitit, quo tẽpore Cæſar fratri mentem & conſilium omne ſuum explicauit, exercitum illi quinquaginta peditum, equitumque millium promittens.

Poſtquam Turcæ Lippenſem obſidionem ſoluiſ-

ſoluiſſent, cæſique à Tranſyluano eſſent, nô deſtiterunt Tatari Chriſtianorum fines diuexare, ſed in agrum Lugatſchinum excurrentes, pecora hominesque abegerunt. At cùm Lugatſchini & Lippenſes huius rei certiores facti eſſent, hoſtes magna celeritate ſunt inſecuti, aſſecutique cũ ijs acriter pugnârunt, tria millia Tatarorum cęciderunt, omnemque prædam recuperârũt. Perijt hîc Baſſa Temeſwarienſis. Parta hac victoria, Tranſyluanus conuocato exercitu Temeſwariam obſidere in animum induxit: ſed cũ ad ſyluam tribus ab vrbe milliaribus diſtãtem veniſſet, inuenit iter cæſis arboribus ita impeditum, vt ad vrbem perueniri non potuerit. Re igitur infecta reuerſus, per exploratores inquiri iuſſit, an nô alia pateret via expeditior. *Cæduntur Tatari.*

Circa medium Iunij legio Sueuica, & quam miſit ſuperior Rheni Circulus Viẽna diſceſſerunt. Vngaris quoque imperatum, vt ad 28. Iunij parati ſint. Schwartzenburgius ſummus militum tribunus manet, & Berenſteinius tribunus armamentarij omnia tormenta & apparatum hoc tempore præparabat. Decimo quarto Iunij Princeps Tranſyluanię cum exercitu ſuo ad arcem Fallacam, tribus Lippa milliaribus ſitam, profectus, eã ſibi dedi poſtulauit. Sed cùm pręſidiarij id negarent, maioribus tormentis attractis, cũ muros verberare cœpiſſet, ad 21. ictum pręſidiarij colloquium poſtulârunt, vitamque pacti, *Fallaca occupatur.*

pacti, relictis omnibus impedimentis, arcē tradiderunt. Inde Tranſyluanus Tſcanotū cum ſuis profectus obſedit. Decimo ſeptimo pileus, gladiuſque conſecratus, & pecunia, quam ad hoc bellum promiſerat Tranſyluano Pontifex, à nobili quodam legato Roma Albam Iuliam allata ſunt: quę deinceps idem legatus Tranſyluano in caſtris tradidit. Tſcanoto occupato, cęſo pręſidio, arce direpta & incenſa, Tranſyluanus Temeſvvariam obſidione cinxit, & magna cōtentione verberari iuſſit. Deiectis loricis, & apertis ad oppugnationem muris, cùm iam omnes ad pugnam ſtarent parati, magnaque ſpes eſſet vrbis occupandę, Turcę & Tatari ex omnibus pręſidiis ingenti numero collecti, ex improuiſo in Tranſyluanorum caſtra impetum fecerunt. Tranſyluanus ſuis è caſtris eductis fortiter cum hoſte collatis ſignis pugnauit, eumque in fugam vertit, & Zegemetum, cęſis aliquot millibus, fugientes acriter inſecutus eſt. Reuerſus multo maiori contentione quàm antea Temeſvvariam oppugnauit, vt vrbem ſuę poteſtatis faceret. Octingenti quoque Tranſyluani caſtris egreſſi in agro Iulenſi, Donpbano, & Harano ſegetem omnem perdiderunt, Turcis etiam id fruſtra impedire volentibus cęſis, fugatiſque. Agrienſes verò pręſidiarij excurſione facta non procul Solnoco Zauſiū obuium habuerunt. Is ſecum vehebat ducenta thalerorum millia, quibus Solnocen-

Dona Tranſyluano à Pontifice miſſa.

Tranſyluanus Temaſuuariā obſidet.

Opulenta Agrienſiū præda.

ſibus

ſibus & vicinis præſidijs ſatisfieret. Agrienſes confeſtim arma expediunt, comitatum omnem trucidant, Zauſium capiunt, & pecuniam ſecum conferunt. Solnocenſes & Hatuani huius cladis certiores facti, confeſtim erumpunt, & noſtros inſequuntur: ſed illi iam in tutum ſe receperant. Interim tamen in aliquot Haiduccos inciderunt, quorum centum circiter non ſine ſuorum damno ſtrauerunt. Vt autem Turcarum Sultanus præclari aliquid aduerſus Chriſtianos efficeret, videbat ſibi quàm maximè neceſſaria eſſe auxilia Tatarorum: eos autem acceptis præteritis annis cladibus fieri ſegniores, & iam ab Vngarico bello abhorrere. Hanum igitur eorum Imperatorem beneficijs deuinciendum ſibi arbitratus eſt. Miſit itaq; illi admirabilis artificij, & incredibilis pretij arcum, pharetram & ſagittas, magnamq; pecuniæ vim donauit. Idem quoque Sultanus per totum Imperium Othomannicum generale inſtituit ieiunium, preceſq; publicas, quibus orarent, vt Mahometes ipſis feliciores quàm hactenus aduerſus Chriſtianos belli ſucceſſus largiatur, nimiamque ſiccitatem, quam magna ſterilitas, annonæque caritas ſequebatur auferret. *Munera Tataro à Sultano miſſa.*

Maximilianus interea Archidux, Schuartzenburgius Tribunus militum, & ceteri præfecti, poſtquam nunc certus militum numerus vndiq; confluxiſſet, exercitum in apertũ eduxerunt, & propugnaculo Máſfeldico, non

non procul Altemburgo incluſerunt. Eodẽ die Vienna viginti quinq; maiora tormẽta, puluis ſulfureus, globi, aliuſque apparatus cum baliſtarijs ſecũdo flumine dimiſſa ſunt. Conſtituit etiam Maximilianus quibus modis præſidia VVindiſmarchiana, & Horbatia, nunc Crabatica hoſti occurrerẽt. Quare Sigiſmundus Baro Herberſteinius cum ſuis militibus, qui ad Petriniá hybernârant, Caſtanouitziũ ſe contulit, & hoſti munitionẽ eripuit: nõ obſtante quòd Oyardus Baſſa cũ mille Turcis venerat obſeſſis opem laturus. Sed Herberſteinius venienti hoſti obuiam procedit, victumq; per montana fugat: 400. Turcas ſtrauit, 8. ſigna militaria, & tria tormenta bellica adeptus eſt. Inde Caſtanouitzium obſedit, oppugnauit, & deditione cepit.

Herberſteinij expeditiones.

Sultani ad Vaiuodam Valachiæ legatio.

Sultanus non ignorans quàm inutilis & pernicioſa ſibi eſſet Vaiuodæ Valachiæ & Principis Tranſyluaniæ cõfœderatio, Zauſium ad Vaiuodam miſit, qui magnificis promiſſis animum eius ſollicitaret, peteretque vt duas ex primariis vrbibus Sultano traderet. Sed Vaiuoda perfidiæ Turcicæ nõ ignarus, à Tranſyluano deficere noluit: ſed in patenti campo omni nobilitate ſua audiente Zauſio reſpondit, in ſua poteſtate non eſſe, petitas vrbes Sultano tradere, cũ eæ ad Principem ſuum Tranſyluanum pertinerent: velle ſe ad illum ſcribere, & Zauſium, dum reſponſum expectat, in cuſtodiam dare.

Cir-

Circumferebantur etiam hoc tempore litteræ Sultani ad Baſſam Budenſem, in quarum initio conqueritur cædem Baſſæ Temeſvvarienſis,& tot millium fortiſſimorum tribus diuerſis vicibus à Tranſyluano trucidatorum. Inde ſe obſidionem Temeſvvarienſem audiuiſſe ait: ſed ſperare hoſtem nondũ occupaſſe. Idcirco ſe Giafferum Baſſam cum 40. millibus armatorum in Vngariã miſiſſe, vt Temeſvvariam contendat: miſſurum adhuc centum millia,& Tattarorum Imperatorem ſe illi cum 50. millibus iuncturũ: quibus copiis Giaffer Baſſa Tranſyluanum ditionibus ſuis expellat: inde ipſum in mandatis habere, vt Budam ſe recipiat, ibi ſe cũ ducentis millibus peditum, centum quinquaginta equitum,& decem millibus camelorũ illi occurſurum: primò Vicegradum expugnaturum, ſoloque æquaturum: inde Viennã obſeſſurum, nec obſidiũ ſoluturũ, niſi vrbe capta,& occiſis omnibus. In reditu Strigonium recuperaturum, & ad modũ Zigethi muniturum. Imperat etiã Budenſi, vt ſi Chriſtiani exercitum prius quàm ſui in apertum educant, diligenter exploret, an quid aduerſus Papam & Rabã machinari decreuerint: eorum locorum Begis ſeriò mandet, vt ſecundùm tenorem incluſarum litterarum negotia ſua inſtituant: quarum ſumma erat, vt accepto à Budenſi octo menſium commeatu Papenſis obſidioné ſuſtineat,& ad vltimum virũ munitionem tueatur: Rabenſis

Litteræ Sultani ad Budẽſem.

verò

verò ſi obſideatur, aut Papa amittatur, vrbem confeſtim (ſed prius quoad fieri poſſit) dirutam relinquat. Sibi enim magnoperè diſplicere Sinanem Baſſam tanti hanc vrbem emiſſe, & hoc anno ne Aſperum quidem ex ea recepiſſe. Si autem Chriſtiani in Budam oculos conijciant, mittere ſe Cicalam Baſſam cum centum millibus armatorum, & quinquaginta millibus camelorum commeatu oneratorum. Imperare autem ne vrbem nimis diu defendat, ſed potius deſerat, & omnes vires in defenſione arcis exerat. Timere autem ſe, ſi à Chriſtianis præueniatur, Budam ſeruari non poſſe. In ſuperiorem Vngariam Mahumetem Baſſam cum viginti armatorum millibus, & ſufficienti commeatu deſtinatum: ſe enim cum cuiuſdam loci præfecto clamdeſtina agitare conſilia, & breui iſtorum lætum expectare euentum. Polonię Regem nondũ fœderi cõtra ſe Sultanum initi velle ſubſcribere, id ſibi diſplicere: Stante enim fœdere antiquo cum Othomannicis facto ſuis per Tranſyluaniam tranſitum non patere. Id iam accidere Tataro Cham, qui cum ſuis copijs à Septentrionali parte Poloniæ conſidet; nec vlterius progredi audet. Sperare tamen illum, ſe largitionibus iter ſibi patefacturum. Concludens epiſtolam, addit; eodem quo hæc ſcriberet die, quinquaginta militum millia, decem verò camelorum, cum omnis generis commeatu, & quingentis pulueris tor-

Hic mendum eſſe videtur.

tis tormentarij vaſis ſibi ex Aſia mitti, quæ ipſe veniens in Vngariam ſecum adferre decreuerit. Hæc Sultanus.

Viceſimo ſeptimo Iunij duo millia militum Strigonienſium, quibus Palfius imperat, fortunæ ſe cōmittere volentes, in hoſticum procurrerunt, & iuxta VVaitzam duas triremes Turcicas inuenerunt, quarum præfectus erat Apoſtata Chriſtianus, miles celebris & imperterritus. Has triremes aggreſſi Strigonienſes, claſſiarios breui in eas redegerunt anguſtias, vt è nauibus exilientes in Danubium, plerique ſubmerſi ſint. Chriſtiani ſuperatis hoſtibus in triremibus multa pretioſa arma, inauratos gladios, vexilla militaria magni pretij adepti ſunt. Erant & in ijs trecenti captiui, plerique Itali, quos omnes liberârūt. Triremes autem ipſas, tum quia ventus erat contrarius, tum quia vna nimis erat lacerata, in tutum ſubducere non potuerunt: licet Palfius præmium quingentorum thalerorum his, qui id poſſent, polliceretur. Relictis itaq; nauibus VVaitzam ſecundò ſpoliarunt, & vſque ad monaſterium exuſſerunt. Ipſam autem munitionem in tāta celeritate expugnare non potuerunt.

Chriſtiani VVaitzam ſpoliant.

Initio Iulij Nadaſtus & Palfius Viennam venerunt, magnifica ſecum adferentes honoraria: inter alia quoque Italos in triremibus dictis liberatos, omnes nautarū habitu indutos. Hi præter alia etiam Maximilia-

no offerebantur: qui eodem die armamentarium perluſtrauerat, viginti tormēta & aliquot triremes præparari iuſſerat, quæ præmiſsis iungerentur. Caſſouiæ quoq; confeſtim cùm aduenißet Tieffenbachius, omnia ad bellum præparata ſunt.

Legatio Turcica ad Polonos. Eodem ferè tempore cùm fama per Turciam increbuiſſet, in Comitijs Cracouienſibus agi de fœdere inter Cæſarem, Polonum & Tranſyluanum contra Turcam confirmādo, Sultanus iterum legationem in Poloniam miſit, qua petebat, vt Tataris ſecuritatem per fines Poloniæ tranſeundi concederet, magna ipſi dona & honoraria promittens. Sed & Tatarus Cham Regi miſit camelum, duas portans corbes, ſeu ſcrinia doſſuaria, in quorum vno merum erat aurum, non ſignatum: in alio caſtellum, & in caſtello pretioſum, artificioſumque horologium, in fronte imagine ipſius Chami argentea lamina inſculpta. Contempſit hæc dona initio Rex, ſed tandem à legatis perſuaſus, acceptauit, iter nihilominus Tataris concedere eo tempore noluit. *Moſchus Tatari ditionē vaſtat.* Dum abeſt Cham, Moſchus collectis magnis copijs illius ditiones ingreſſus longè latèque eas diripuit, & exurit, obuijs quibuſque trucidatis. Fama etiam erat Magnum Poloniæ Cancellarium exercitum ſuum ſupplere; eumque ſub finem Iulij cum quadraginta armatorum millibus in Tatarum moturum. At plurimi illius fidem ſuſpectam habebant.

Cùm

Cùm iam Tranſyluanus diu obſediſſet Temeſvvariam, nec ab Vngaria, nec ab ipſo Imperatore promiſſa auxilia acciperet, animum deſpondere cœpit. Perſeuerauit nihilominus in obſidione, neque noctu, neque interdiu à muris conuellendis deſtitit, donec continua concuſsione ruinam ſtrauiſſet, per quam aliquot currus ſimul in vrbē immitti poſſent. Iamque ad diem XXIV. Iunij oppugnatio erat decreta, cùm interim fama certis nuncijs & litteris in caſtra adfertur, Giafferam Baſſam & Tataros cum validiſsimo exercitu aduentare, vt obſeſſis auxilientur. Tranſyluanus itaque his anguſtijs circumuentus, conſilium mutauit, vireſque ſuas expendens, & auxilia nondum parata intelligens, obſidionem cum magno animi mœrore ſoluit, & exercitum Lippam traducit, eo conſilio, vt ibidem caſtra tumultuaria, & in omnem euentum parata collocaret, donec auxilia Cæſaris aduentarent: tunc enim aperto Marte, ſtatariaque pugna cum hoſte certare decreuerat. Interea etiam ad ſubditos ſuos, & præcipuè ad Siculos mandata miſit, vt primo quoq; tempore, quanto numero poſſent, in armis adeſſent.

Per hos dies exercitus Chriſtianorum Altenburgo Comorram translatus eſt, & equites Sileſij accepto mandato in Tranſyluaniam iter inſtituebant. Decimo octauo Iulij Viennæ Archiducis Maximiliani prætoria-

Signũ Prætorianum Maximiliani luſtratur.

num vexillum recenſitum & luſtratum eſt, equitibus conſtans trecentis, & peditibus centum. Sex equi ad manus ducebantur, quorum duo phaleris Germanicis, duo Vngaricis, duo Italicis erant con[illegible]ati: pretioſiſſimis ephippijs ſuperimpoſitis, à quorum vno latere longiores ſclopi, ab altero breuiores, cum ſecuri Amazonia pendebant: quos equos ducebat Nobilis iuuenis aurata armatura amictus. Poſt equos tres alij iuuenes Italico habitu induti, qui galeam, ſignum Regni, & brachiorum armaturam circumferebant. Hos ſequebatur Archidux ipſe, cum panoplia Germanica, teſſara muta, aut tænia militari, albi, rubeique coloris, & baculo prætorio. Poſt Archiducem Dominus Rederus, & alij tribuni, militiæque præfecti. Signum ipſum in medio agmine gerebat Colenitzchius, confectumque erat è panno Damaſceno flauo, ab vno latere Aquila Imperij, ab altero imagine Beatę Mariæ, cum inſcriptione, PATRONA VNGARIAE, inſignitum. Eodem ferè tempore Thettoris equites Viennâ in caſtra contenderunt, & decimo nono Iulij tria alia VVeſtphalorum equitum ſigna ſecuta ſunt, & quingenti equites haſtati iam præceſſerant. Quinque etiam millia peditum & auxilia decem millium armatorum Tranſyluano promiſſa, per eoſdem etiam dies ſeſe mouere cœperunt.

Dum

Dum Tranſyluanus relicta obſidione Temeſvvarienſi Lippæ auxiliares copias fruſtra expectat, Palfius in interiorem Vngariam exploratores mittit, qui de viribus, numero & propinquitate Turcarum certi aliquid referrent, Hi cùm rediјſſent, narrârunt Baſſam Natoliæ, cum quatuordecim equitum, & quatuor Ianitzerorum millibus Belgradum veniſſe: hos Danubium traieciſſe, & ad Temeſvvariam ad Baſſam Budenſem properare. Coniunctis his copijs fore, vt totus exercitus ſexaginta conſtet millibus, famæque dari, Lippam denuò obſidendam. Horum omnium certior factus Tranſyluanus, cùm videret auxilia cunctari, omnes ſuos nobiles & magiſtratus in diem vigeſimum quintum Iulij Albam Iuliam conuocauit, vt exercitum nouis ſupplementis augeret, & in hoſtem induceret. Interim campo cedit, & præſidium validiſſimum Lippæ imponit.

Herberſteinius, qui cum ſuis copijs Craſtovvitzium obſidere decreuerat, trans Vnnam caſtrametabatur: quam tamen ponte nondum ſternere poterat, quia Baſſa quidam in oppoſita ripa cum mille Turcis & tormentis aliquot campeſtribus firmam munitionem tuebatur. Herberſteinius itaque noctis caligine tectus, ad eandem munitionem occultam viam quæſiuit, & inuenit, Baſſamque ex improuiſo adorſus cæcidit, & per montana fugere compulit. *Heberſteinius Craſtovvitzium obſidet.*

Turcæ circiter quadringenti trucidati ſunt. Quibus peractis Herberſteinius pōtem confici iuſsit, eo conſilio, vt Craſtovvitzium obſidione cingeret: ſciebat enim præſidiarios in eo eſſe paucos, & iam ſigna dare, quibus ſocijs indicabant, ſe hoſtium vim diu ſuſtinere non poſſe. Interea Tatarorum Imperator cum centum armatorum millibus in fines Moldauiæ venit, cui Vaiuoda omnem commeatum, quem colligere poteſt, miſit, & magnificum ciſium cum ſex equis generoſiſſimis donauit. Quo tempore Sultanus nouam ad Polonum legationem miſit, ſupplicans, ne vetus cum domo Othomannica pactum frangat. Per hos dies certi de aduentu ipſius Sultani in Vngariam nuncij adferuntur. Quam autem in partem ſe moueret, aut quid primùm moliretur, variabant ſententiæ. Equites Agrienſes prædatum in hoſticum excurrentes, Solnocenſibus & Hatuanis mille quadringenta minora, maioraque pecora ademerunt, & Raſcios multos ſecum adduxerunt.

Tatari in Moldauiam.

Viceſimo quarto huius menſis Iulij exercitus Chriſtianorum Vvaitzam mouit. Antequam autem eò perueniret, incolæ munitionem deſeruerant, & ſe, pecora, armenta, pretioſioremq; ſupellectilem ſuam Peſtam tranſtulerant: tormenta quoque ſecum traxerant, quorum maximum cùm ob feſtinationem, viarumque difficultatem ſecum vehere non poſsent, terræ infoderunt: quod poſtea

Vvaitzam noſtri occupant.

poſtea in noſtrorum venit poteſtatem. Etſi autem abeuntes Turcæ oppidum & caſtrum incenderãt, relicti tamen Chriſtiani quàm ſedulò potuerunt incendium reſtrinxerunt. His autẽ Tribunus militum Schvvartzenburgius bis mille peditum, & aliquot equitum auxilia miſit: quorum omnium mutua opera magna pars oppidi & caſtri ſeruata eſt. Exercitus vniuerſus ſubſequens in patentibus campis caſtra poſuit, & Vngari Germaniq́ue equites Peſtam procurrentes diu in conſpectu oppidi ſteterunt, Turcarum verò nullus prodijt.

Peperit hæc noſtrorum tam repentinus aduentus non exiguum inter Turcos metum, adeò vt Peſtenſes & Budenſes vxores, liberos, & pretioſiora quæque nauibus impoſita ad loca tutiora mitterent. Quæ res non leuem mouit ſeditionem. Dum enim ditiores & potentiores naues prius occuparent, & pauperiores excludi nollent, magnus factus eſt concurſus: ita vt quidam è ripa in fluuium detruſi ſubmergerentur. Atque hinc controuerſiæ, iurgia & execrationes primùm nata, deinde eductis acinacibus ad pugnam ventum eſt. Palfius interea cum ſuo equitatu peditatuq́ue Vngarico, qui nouem millibus conſtabat, in caſtra venit. Viceſimo tertio Iulij Archidux Maximilianus Viennâ egreſſus in Vngariam ſe recepit, quem præter cohortem prætoriam Vvalones & quadringenti equites Franco-

Metus Turcarum Budenſium.

niæ, nobiles ferè omnes, in Ordinis Teutonici honorem, comitati ſunt. Poſtridie equites miſſi ab his, qui Entium fluuium accolunt Viennam appulerunt. Altero die poſt equites Boëmi quingenti (mille ponunt alij) terreſtri itinere Presburgum profecti, ob tempeſtates vlterius progredi non potuerunt: quam ob cauſam equites Morauiæ mille quadringenti Viennam quoque tranſire compulſi ſunt. Anhaltini Principis equites mille ducenti quotidie Viennæ expectabantur.

Herberſteinium cum ſuis Styris Craſtovvitzium obſediſſe diximus antea. Omnis eius cura in eo erat, vt Vnnę ripas ponte nauali coniungeret. Cùm autem nonnulla ad hanc fabricam pertinentia deſiderarentur, totusq; illius exercitus ſex tantùm peditum millibus conſtaret, & hoſtium exercitus duplo maior in propinquo eſſet, aleam fortunæ tentare noluit: ſed relicto Craſtovvitzio Petriniam ſeſe recepit. Viceſimo octauo Iulij Schvvartzenburgius cum Palfio, & ſeptem millibus equitum ac peditum Peſtam profectus eſt: ſed cùm hoſtem elicere non poſſet, nihil effectum: niſi quod Peſtæ Budæque ſitum, conſtitutionemque loci explorauerit.

Auguſti menſis die 4. Archidux Maximilianus ſummus belli Turcici imperator cum inſigni equitatu in caſtra Chriſtianorũ venit; quem Schvvartzenburgius & Palfius

cum

cum inſtructiſſimis copiis, cum multis lætitiæ ſignis, cum regia pompa introduxerũt. Interea VVaitza muniri cœpta, breui ad eã munitionem eſt perducta, vt defendi iam poſſet. Impoſitum itaque eſt ducentorum equitum, quingentorum Huſſarorum, & trium ſignorum peditum præſidium. Erant jam in Chriſtianorum exercitu, exceptis lixis & calonibus quinquaginta armatorũ millia. Bauari ſeptimo Auguſti Viennæ naues conſcenderunt, nec inde egreſsi ſunt, priuſquam ad caſtra veniſſent: ſigna Comitis Solmenſis adhuc expectabantur. Interea Serdar Chihain, Ibraim Begus, Oppardus, Baſſa Boſniæ & Curatus Begus cum viginti circiter Turcarum millibus Caſtanouuitziũ conuenerunt, eo conſilio, vt prima luna Petriniam, quam vi occupari non poſſe credebant, per inſidias ſibi ſubiicerent. Hunc in vſum ſcalas plurimas confecerant, & alia inſtrumenta huic expeditioni vtilia excogitârant. Sed Chriſtiani quidam captiui ſub hoc è vinculis elapſi Petriniam venerunt, & inſidias iſtas detexerunt. Præfectus vrbis confeſtim è vicinis locis maiora euocat præſidia, tormenta omnia in mœnia trahit, locisque oportunioribus diſponit, omniaq; qua in hoſtiũ aduentum præparat. Ex Præfecti diligentia Turcæ facilè intellexerunt inſtitutum ſuum detectum eſſe, & re infecta in ſuas quiſque prouincias diſceſsit. *Turcæ Petriniæ inſidiantur.*

Paulo ante Viennæ Auſtriæ numerus ar-

Viennæ fit armilustrium.

matorum initus eſt, inuentique ſunt præter alienigenas ſex ciuiũ millia, omnes armis inſigniter inſtructi, & in ſua ſigna diuiſi; qui in ſuis ordinibus extra portam educti & reducti ſunt. Eodem die magiſtratus & belli præfecti mœnia & propugnacula luſtrârunt, quæ multis locis infirma repererunt. Cùm Chriſtiani Turcarum agros quotidianis deprædationibus infeſtos haberent, turpe ſibi rati Turcę, ſi hanc iniuriam non vindicarent, quingenti collecti Danubium traiecerunt, & in agro Terzeretano conſederunt. In hos ducenti equites Tranſyluani ę Rugaſſo inuecti, poſt leue prælium Turcas fuderunt, fugârunt, & in amnẽ Hagam præcipitârunt. Capti ſunt nonnulli, inter quos quidã nõ infimæ authoritatis, qui Sultanũ Belgradum veniſſe, & Tranſyluaniam cogitare dicebat. Decimo Auguſti Palfius in caſtra reuerſus eſt, poſtquam ſub Buda in quadam inſula centum duos Turcas, inter quos Agæ duo, trucidâſſet; octo etiam naues, quarum vna erat Baſſæ Budenſis, occupaſſet. Turcæ, qui in iis erant, aut aquis ſubmerſi ſunt, aut acinacibus conciſi: tormenta in aquas præcipitata; Baſſæ nauim ſecum auexerunt. Aiunt in naui Baſſæ Præfectum claſsis etiam periiſſe, & apud eum litteras ipſius Sultani inuentas eſſe. Biduo ante noſtri 72. quadrigas commeatu oneratas, quarum ſingulæ a ſex bobus trahebantur, interceperũt, & in exercitum adduxerunt.

MVNDI

MVNDI FVRIOSI LIBER SECVNDVS:

Continens res geſtas à Septembri anni 1596. vſque ad annum 1597.

CReſcebat inter Gallum & Hiſpanum quotidie magis odium, quod nullis legationibus, nullis interceſsionibus, nullis fœderum propoſitis conditionibus potuit aut mitigari, aut deponi: licet id ſæpe, ſed fruſtra, tentaretur. Dum itaque mutuis inter ſe odiis flagrant Reges, & alter alteri quibuſcunque poteſt iniuriis nocere geſtit, ſubditi vtrinque miſeris modis exagitantur; iuxta vetus prouerbium, *quicquid coquus deliquerit, vapulat tubicen.* Quod quàm verùm ſit, ex iis quæ commemorabimus cuiuis manifeſtum fiet.

Arteſia, quæ à Flandricis annalibus vallũ & ſcutum Flandriæ nuncupatur, regio frumenti omnis generis feraciſsima, & finitimarum prouinciarũ Belgicarum horreum, Gallorum iniuriis eſt opportuna, quoties Hiſpaniæ & Galliæ Reges, abrupto pacis fœdere, bello inter ſeſe committuntur. Nullis enim ſaltibus aut fluminibus clauditur, quæ hoſtium excurſiones remorari poſſunt. Præter[illegible]es plerunque eſt belli, quod in Gallos geritur: à quibus noſtra & patrum noſtrorum ætate ſæpe incendiis & deprędationibus penitus fuit euaſtata. Hac autem

tempe-

tempeſtate Picardi Arteſiis admodum infenſi, quòd anno ſuperiore Comitem Fontanum viris, armis, commeatu & pecunia ad Caſtelletum, Dourlantium & Cameracū expugnandum magno conſenſu certatim iuuiſſent, quemadmodum & hoc anno in obſidione Caletenſi & Ardenſi Alberto Cardinali pro viribus auxiliati eſſent: eos hac æſtate vlciſci, vicemq́; rependere ſtatuerūt. Itaque Nauarręus, qui poſt Feram receptam per tres continuos menſes quieuerat, tandem vt Picardis ſatisfaceret, quibus vrbes amiſſas ſeſe reſtituturum magnificè pollicebatur, Bironium pedeſtres, equeſtresque copias contrahere iubet, qui abſque mora Regis mandato obtemperans, præſidia limitaneis vrbibus detracta, varioſque milites ex aliis prouinciis euocatos, in Picardiam ſub finem Auguſti conuenire pręcipit. Pręter numeroſam peditum colluuiem, tumultuario delectu coactā, confluxerunt ad hanc expeditionem, ſeu potius expilationem, circiter duo equitū millia, inter quos magnus erat vulgarium nobilium numerus, quorum admodum ferax eſt Gallia. Hi omnes prędę inhiantes Bironium ſecuti, atque traiecto Somona flumine cœperunt ſeſe Calendis Septemb. cum tota exercitûs mole mouere. Deinde fines Arteſię ingreſſi ar[illegible]mbercuriam, duobus milliaribus Dour[illegible]tio diſſitam, quarto Septemb. dolo occuparūt. Eodem die Ferrienium vicum populoſum, & Ceri-

Nauarræus bellum parat Arteſijs.

Prima Bironij in Arteſiam expeditio.

Cericampium, Bernardinorum cœnobio celebrem inuadentes, monachos & agricolas ingenti pecunię ſumma multârunt, qua ſe, ſuaque redimerent. Interea Marchio VVarẽbonius, ſupremus Arteſię pręfectus, quingentos equites celeriter contraxit, cum quibus Hiſdino egreſſus, vt hoſtẽ effuſis populationibus prohiberet, apud Fanum S. Pauli V. Septembris poſt meridiem in Gallorum equitatum incidit, quos abſque mora cum vna equitũ turma adortus, ipſe inter primos fortiſſimè dimicans, à ſuis fœdè deſertus, & ab hoſtibus vndique circumuentus, capitur, vnà cum Comite Montecutio Italo, & nonnullis aliis: deſideratis è ſuis non amplius xx. equitibus. Reliquę namque turmę, quę velitationem iſtam ſpectârant, non tentato certamine turpiter in fugam effuſæ, mirum in modum agricolarum fugientium trepidationem auxerunt: qui relictis vicis & tuguriis ſuis præcipiti curſu cum pecore, carris, & impedimentis Atrebatum, Betuneam, aliaſque vicinas ad vrbes ſe receperunt. Falſa itaque ſunt, quæ de hoc conflictu nimis petulanter ſcribit Iacobus Franc, in ſua hiſtoricæ Relationis Continuatione.

Vvarembonius capitur.

At Bironius iam omni hoſtium metu vacuus (Cardinalis enim diminutum & laſſũ multis expeditionibus exercitum dimiſerat, & in varias prouincias diſtribuerat, quẽ tam citò coire non poſſe ſciebat) exercitum in Comitatum Fani Pauli prædatum duxit:

ipſum

ipſum S. Pauli oppidulum exiguum & ignobile, quod abhinc annos ſexaginta manſit imminutum: poſteaquam videlicet Maximilianus Comes à Buren, vnà cum Adriano Comite à Reuxio Caroli Quinti Cæſaris auſpiciis illud anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo obſedit, expugnauit, muroſque funditus euertit: quinque Gallorum millibus in ea vrbis clade trucidatis. Oppidum hoc, inquam, Bironius ſeptimo die Septembris occupauit & diripuit. Poſtridie Pernas oppidulum itidem inualidum, & ab incolis deſertum, cum vicis & caſtellis adiacentibus deprædatus, Betuneam vſque populabundus cum omnibus copiis, nemine obſtante, excurrit. Si qui verò in pagis ruſtici è ſuorum templorum turribus (in quas nonnulli cum prolibus & vxoribus confugerant) repugnare prædonibus auderent, fumo & flammis enecti miſerè exanimabantur.

Dux Arſchotanus Arteſiæ præfectus. Interea Archidux Albertus, qui poſt obſidionem Hulſtanam (vt dictum eſt) exercitu per Flandriam diſperſo, Bruxellas conceſſerat, huius rei certior factus, Carolũ Croyũ Ducem Arſchotanum in Arteſiam cum imperio miſit, qui 10. Septembris Atrebatum ingreſſus, Senatui conuocato litteras exhibuit, quibus ab Alberto Arteſiã capto Vvarenbonio adminiſtrare, & militaribus copiis præeſſe iubetur. Eodem autẽ momento, quo dux portas Atrebatias ſubibàt, ingens fumus

ſumus altero ab vrbe lapide in Eſtræo vico conſpiciebatur, quem Galli incenſo templo, vnà cum turri excitârant, in qua miſeri aliquot agreſtes cum pecore ambuſti perierunt. Arſchotanus autem 12. ſeptemb. Atrebato egreſſus, Betuneam cum quingentis equitibus contendit, expectaturus reliquas peditum equitumque copias, è Flandria aduentantes. Quæ dum adhuc ſunt in itinere; Galli cùm iam per octo dies continuos fertiliſſimum Arteſiæ tractum impunè depopulati eſſent, tandem cum multo pecore, & magna captiuorum turba in Picardiæ fines præda onuſti ſe receperunt, quos Arſchotanus Feruenium vſque inſecutus eſt. At mox conuerſo retro itinere copias reduxit.

Secunda Bironij in Arteſiam irruptio.

Galli verò prædæ dulcedine ineſcati, depoſitis ſarcinis & captiuis, XXI. ſeptembris ruſus in agrum Bapalmenſem infeſto agmine irrumpunt. Hebuternas, Beneuillerium, Curcellas & finitimos vicos deprædantur, variis templorũ turribus incenſis, in quibus rurſus humana aliquot capita flãmis afflata interierunt. Arſchotanus verò 22. Septemb. poſt meridiem ſub ipſa mœnia Atrebatẽſia in ſuburbiis Ronuilllianis tuto & munito loco caſtra metatus eſt, quæ à tergo vrbe, à læua fluuio Scarpa, à dextra verò ſuburbanis ædibus ad Templariorum fanum pertinentibus, item riuulis quibuſdam in vrbẽ influentibus muniebantur. A fronte

ve-

verò,quà planicies erat aperta, foſſam tranſuerſam cum exiguo vallo à templo Seruatoris,vſque ad Templarios tumultuario opere milites perduxerant:diſpoſitis idoneis locis,quà hoſtis venturus putabatur, maioribus aliquot tormentis bellicis: quæ quoties hoſte procul comparente, atque proxima quæque loca impunè perſultante,magno ſonitu excutiebantur,Ariſchotani equites,qui trans Scarpam fluuium in tuto hoſpitabantur,accepto ſigno equis confeſtim conſcenſis in caſtra properabant,atque extra munitiones in varias turmas diuiſi, aduentum hoſtium præſtolabātur:peditatu intra vallum remanente.Bironius interea cùm per certos exploratores didiciſſet(quorum vnus in caſtris deprehenſus in crucem actus eſt)Hiſpanos ſeſe non moturos,nec temerè Martis aleam periclitaturos, copias obuia quæque deprædando vlterius promouit, atque 27. Septembris caſtra primo ab vrbe Atrebatēſi lapide ad Riuerium vicum poſuit, adeò vt inter vtrumque exercitum admodum exiguum intereſſet ſpatium. At nihil memorabile actum eſt,Hiſpanis ſeſe in caſtris continentibus,Gallis verò longè lateque rapinis atque incendiis graſſantibus, ciuibus interea & agricolis fruſtra indignantibus, atque ringentibus,qui è mœnibus Atrebatiis ruris opes agi ferrique, atque inflammatos agros diffuſo diuerſis locis vno eodemque momento incendio paſſim fumare conſpiciebant.

ciebant. Bironius noctem vnam ad Riuerium moratus, incenſo vico 28. Septemb. caſtra mouit, & modicis itineribus Picardiam repetens, prædatores rurſus Betuneam, Lilerſiã & Ariã verſus ad Morinos emiſit, qui magna hominum & pecorum abacta præda; intra fines Picardiæ regreſsi, tandem apud Blangiacum initio Octobris conſederunt; caſtris in planicie Azincuriana, memorabili Gallorum ab Anglis cæſorum clade, ante annos centum & octoginta nobilitata, collocatis. Hactenus quæ menſe Septembri in Arteſia geſta ſunt commemorauimus, quid interea aliis in prouinciis Belgicis geſtum audiamus. Etſi Hollandi & Regij celebri illa Hulſtana obſidione defeſſi, numeroque ita eſſent diminuti, vt præclari nihil gerere poſſent, ab excurſionibus tamen, deprædationibusque non ceſſarunt. Ordines Hollandiæ, &c. amiſſo Hulſto Axeliæ oppidulo vicino metuebant, quo amiſſo iam omni territorio VVaſenſi excluderentur. Incredibili itaque ſumptu & celeritate illud muniierunt. Tolæ quoque, Montibus ad Zomam, Bredæ, Hueſdæque validiora præſidia impoſuerunt. Nouas etiam Scotorum, Anglorumque copias quotidie expectabant. Mauritius in territorio Gouſano adhuc morabatur, vt hoſtem obſeruaret, & quò belli molem verteret, conſideraret, ſuaque præſentia ſubditorum animos confirmaret: qui tot, tamque proſperis Alberti fortunis labefacta:

Axelia munitur.

befactari incipiebant. Comites interim Solmenſis & Erneſtus Naſſouius in Hagam Comitis profecti, vt ſe purgarent, non admodum honorificè accepti dicuntur: inſimulabantur enim ignauiæ & timiditatis, vt qui oppidum Hulſta[illegible]m abſque neceſſitate in hoſtium manus tradidiſſent: in quo nec frumentum, nec puluis tormentarius, nec maiores machinæ, nec vllus denique apparatus bellicus defuiſſet, & qui bis mille milites integros adhuc deditionis tempore habuiſſent. Eodẽ tempore Comes à Sultz cum ſua legione, qui Regi Hiſpaniarum militabat, in Ducatum Luxenburgenſem, & Comes de Bie Dourlantium profectus eſt. Hiſpani & VValones per Flandriam diſtributi, à belli laboribus quieſcebant. Per eoſdem dies famæ datum fuit, nonnullos Regia pecunia corruptos Bommeliam Cardinali tradituros ſe recepiſſe: ſed eorum conſilium detectum, & decem ex proditoribus in carceres coniectos. Confœderatorum equites hoc menſe Septembri in Veſtam Recklinckhuſanam hoſtiliter ingreſsi, multa abegerunt pecora. Deinde vltra Coloniam progreſsi, variis in locis agreſtes ſpoliârunt, multoſque equos rapuerunt: etſi Bonnenſes numero circiter nonaginta erumpẽtes prædam ſe recepturos ſperabant, nihil tamen efficere potuerunt; ſed à prædatoribus circumuenti, octodecim cæſi, ceteri in montana fugati ſunt. Berckenſes præſidiarij nihilo ſegni-

lo ſegnius res ſuas agebant, nec otiabantur, vbi erat quid rapiendum. Hollandicas, Zelandicasque naues aliquot detinuerunt, nec dimiſerunt, niſi nautæ pro ſingulis nauibus centum aureos, & duas metretas Atticas (amen vocant nunc) generoſiſſimi vini dependerent.

Tertia Bironij in Arteſiam excurſio.

Galli nidore prædæ Arteſiæ oblectati, tertiam nunc expeditionem meditabantur. Arſchotanus aucto octingentis peditibus exercitu, quos Bourlotius recenter in ſuarũ cohortium ſupplementum conſcriptos adduxerat, tandem vaſis conclamatis caſtra ab Atrebato 5. Octobris abduxit, hoſtiumque veſtigia ſecutus, eodem die ad Fanum S. Pauli peruenit, atq; in iis locis per aliquot dies contra Gallos ſubſtitit. At Bironius iam tertiùm Arteſiam ingreſſus, ex improuiſo 12. Octobris emiſſo Atrebatum vſque equitatu plurimos agricolas, qui iam ad ſua redierãt, vnà cum pecore intercepit, omnemq; exercitum ad montem Eligium, inſigni cœnobio celebrem, rapuit. Biduo poſt equitibus Lendium vſque, & Duacum agros infeſtantibus, omnem tractum illum oberrauit. Eodem die Tacconius cum ſua turma in viginti equites Gallos ad radices montis Eligij incidit, quos adortus nonnullis interfectis, decem captiuos Atrebatum perduxit. Bironius tandem agris euaſtatis & deſolatis, Picardiam cum exercitu 17. Octobris repetiit, multis ſuorum cadaueribus per agros quâ

ierant relictis,qui peſte, dyſenteria & fame inhis expeditionibus paſſim interierant: Licet enim horrea in pagis omnibus frumento forent referta,non tamen Galli tantum frumenti molere, eamq́ue panum copiam pinſere potuerunt,quæ tantæ multitudini ſufficeret: præſertim cùm nullus eos commeatus è Gallia ſequeretur, & in vicis ac pagis paſſim vacuis nullus inueniretur. Proinde multi cibariorum penuria legumina,crudum frumentum,alioſque inuſitatos cibos vorantes,morbis infecti ſuccubuerũt. Atque hæc eſt cataſtrophe Bironianæ expeditionis,in qua nihil laudabile, nihil præclarum geſtum eſt,niſi rura vaſtare, horrea cum frumentis exurere,agricolas miſeros & innoxios ad extremam paupertatem redigere,captiuos diris cruciatibus excarnificare,templa ruſticana ſpoliare, & flammis iniectis in cineres redigere, vix triginta ex hoſtibus occidere,tot centena è ſuis amittere,laudem eſſe dixeris.Hanc autem tam eximiam expeditionem ideo latius referre volui,quia in ea enarranda Francum & alios, ſiue affectibus ſuis ductos, ſiue ab aliis malè edoctos,toto cælo errare video.Sub id tempus Arſchotanus, digreſſis iam hoſtibus, atque arce Imbercuria recepta,copias in hyberna diſtribuit,nihilq́; deinceps hoc anno his in oris memoratu dignum accidit, cælo in continuas pluuias conuerſo.

Huius menſis Octobris initio confœderati

rati duo millia equitum, & tria peditum in apertum produxerunt, & Brabantiam verſu iter inſtituerunt : pontes quoque nauales , tormenta bellica & ſcalas ſecum adferentes. Omnium erecti erant animi, & magna quędam expeditio expectabatur: ſed ſiue quòd eorum conſilium fuerit detectum, ſiue alia aliqua re ſint impediti , expeditio hæc euentu caruit. Philippus autem VVilhelmus, Princeps Auraicus, qui cum Cardinale ex Hiſpaniis venerat, cum Comite Montenſi Embricam per hos dies venit , vbi cum ſorore ſua, eiusque marito Holachio de patrimonialibus bonis potiſſimum collocutus eſt. Fama autem per ora multorum diſcurrebat, eum nuptias Sibyllæ, Ducis Iuliæ & Cliuiæ ſororis ambire, eamque ob cauſam confecto cum ſorore ſua negotio , Arenbergam in Eifliam profectum , vt aui ſui ſororis filiam , ſeniorem ſcilicet Arenbergæ Comitiſſam , ſalutaret ; eiusque opera in hoc matrimonio conficiendo vteretur.

Princeps Auraicus Embricam ad ſororem venit.

Fortè in Comitatum Iſenburgenſem.

Poſt captam ab Anglis inſulam Gaditanam, claſsisque hoſtilis diſceſſum, Rex Philippus omnes Hollandicas, Zelandicasque naues iuſſit in omnibus portibus detineri, captis nauarchis , & nauium armentis ablatis. Hęc fama nondum fidem apud Hollandos inueniebat, ſed his diebus quidam ne-ſonautæ, fortunæ ſeſe auſi committere, proximam nauim ingreſſi, ventis vela dederũt, & feliciter Middelburgum appulerunt: qui

nauium detentionem confirmârunt. Sed & Middelburgi naues arreſto (vt vocant) tenebantur, ob quandam controuerſiam inter Hollandos & Zelandos nuper ortam: naues exonerabantur, merces inſpiciebantur, & quæ ad portitoré non erant delatæ, fiſco ſubiiciebantur. Confœderati denuò acriter vrgebant cauſſam viduæ Comitis Muerſenſis, minabanturque, niſi ei à Colonienſis Diœceſis Ordinibus ſatiſfieret, ſe omnia ferro flammaque vaſtaturos: quam ob cauſſam Mareſchallus Diœceſis Frentzius in Zelandiam legatus eſt. Interim Ordines quadringentos equites in Diœceſin miſerunt, à quibus tamen Diœceſani magnum incommodum non acceperunt, niſi quòd vbique gratis victitârunt. Interim inſtant, vt Muerſanę Comitiſſæ decem illa thalerorum millia dependantur.

Hollandi Hulſtum fruſtra tentant.

Viceſimo primo Octobris Hollandi quodam ſtratagemate Hulſtum, nuper amiſſum, recuperare ſe poſſe ſperabant. Secundo enim vento cum claſſe per Scaldim Hulſtum ex improuiſo nauigantes, triginta aut quadraginta equites in terram expoſuerunt, qui ſe prædatum exiſſe ſimulabant. Spes enim erat præſidiarios in eos apertis portis impetum facturos, longiusque proſecuturos. Interea dum ſic ab vna oppidi parte tumultuaretur, alij, qui in inſidiis erant, ab altera parte ſcalis ad vrbem admotis, eam occuparent. Sed huius doli oppidani præmoniti, dili-

diligentiſſimas excubias habuerunt, omniaque ad nocendum hoſtibus neceſſaria præparârunt, ac idoneis locis comportârunt, & ita eos venientes exceperunt, vt cum damno & dedecore retro, vnde venerant, redire coacti fuerint. Viceſimo quinto Octobris Mauritius Dordraco Montes Sanctæ Geertrudis profectus eſt, relinquens in Haga Comitis Ducem Bullonium, qui renouationem fœderis inter Gallos & Belgas fœderatos promouebat. Inſtiterant iam antea Gallus & Angla apud Hollandos & ſocios, ne quæ naues Hiſpanias adire permitterentur: difficulter vt hoc permitterent Hollandi induci potuerunt, cauſſantes ſalutem patriæ ab iſta nauigatione pendere. Interim ſi quæ naues portu exirent, ſub cautione promittere debuerunt, ſe nullos Hiſpaniæ portus ingreſſuros.

Incredibilem pecuniæ vim Illuſtriſſimus Archidux & Cardinalis Albertus hoc bello à mercatoribus acceperat, quam ſtatis temporibus cum vſura redderet. Aderat iam dictus dies, mittuntur in Hiſpanias expenſi ſyngraphæ, repetuntur quæſtuoſæ pecuniæ. Accidit mercatorum malo, vt dum ſyngraphæ leguntur, Rex ipſe ſuperuenerit. Is videns mercatorum iniquitatem (pro ſingulis namque nummûm centenis, ſeptuaginta pacti erant) ira percitus, ſyngraphas lacerauit, pedibuſque conculcauit, tantæ vſuræ impietatem proteſtatus.

Hæc fama cùm in Belgium eſſet perlata, Antuerpiæ, aliiſque in locis mercatorum animi conciderunt. Quidam foro ceſſerunt, alij magno in metu verſabantur. Alios ſpes confirmabat, fore, vt cùm Rex ſine ipſorum opera bellum in Belgio gerere non poſſet, aliquando pacatior factus, debitum exoluat. Eodem tempore Cardinalis legionem Hiſpanorum in vrbem Antuerpienſem introducere voluiſſe dicitur, ſed ciues cauſatos milites peſte infectos eſſe, precibus obtinuiſſe, vt Cardinalis conſilium mutauerit.

Peſtis hac æſtate Galliã incredibili modo depopulabatur, idq́; variis in locis: ſed præcipuè Pariſiis; adeò vt multa millia, quibus Bellona pepercerat, nũc peſtis abſumpſerit. In ſola vrbe Pariſienſi viginti hominum millia trimeſtri ſpatio peſte abſumpta dicuntur, quæ lues non exiguum bello Gallico attulit obſtaculum. Per eoſdem dies incredibilis copia frumenti in Aquitania collecta, & nauibus impoſita, Regis Galliarum conſenſu Romam eſt aduecta, cum oblatione plura mittendi ſi Pontifex petat. Circa medium Septembris Dux Bullonius è Gallia in Belgium legatur, & Middelburgo in Hagã Comitis profectus eſt; vt fœdus inter Gallum, Anglam & Belgas confœderatos renouatum conſeruaret. Miſſus eſt & alius Legatus 25. Septemb. in Angliam, vt iſtic idem negotium conficeret. Dux Mercurij, qui partes Regis Hiſpan. adhuc ſequebatur,

Renouatio fœderis inter Gallum, Anglam & Belgas.

Britan-

Britanniam adminiſtrabat. Is ante aliquot menſes inducias fecerat cũ Pictauienſibus, Andegauenſibus,& Maynenſibus,ea lege,vt hæ prouinciæ ſingulis menſibus Mercurio 30000.coronatos dependerent,Induciæ iſtæ quia jam ferè exſpirauerant,cum conſenſu partis vtriuſque prolongatæ ſunt. Suſpecta erat hæc negotiatio Ioanni de Aquilo,copiarum Hiſpanicarum in Britannia præfecto, metuebatque, ne tandem Mercurius ſe Regi reconciliaret. Quam ob cauſſam Blauetum & alia loca, quæ in Hiſpanorum erant poteſtate, muniuit. Interea Hugonottæ variis habitis conuenticulis omnia verſârunt conſilia,quibus modis ſuæ ſectæ homines ad ſupremas Regni adminiſtrationes (quod ne faceret Rex,in excommunicationis abſolutione cautum erat) haud aliter quàm Catholici admitterentur. Legatus etiam Pontificius ſecundò iam apud Regem ſeriò pacem inter Galliam & Hiſpaniam vrgebat. Qua de cauſſa Epiſcopus Gonzaga quoque in Hiſpanias ablegatus eſt.

Galliarum Rex nondum Rhotomagi in hac dignitate conſtitutus vnquam fuerat exceptus. Eò itaque nunc profecturo ingens triumphus eſt præparatus:qui circa 20. Octobris vrbem ingreſſus eſt: exercitu interim Dourlantiũ inter & Ambianũ conſidente. Famæ per hos dies datum eſt, Ladiguerium, acerrimum ſectæ Caluinianæ vindicem,Delphinatûs quaſi Adminiſtratorẽ, Caluinianã

Religionem coram legato Pontificio eiuraſſe,& Catholicam Religionem profeſſum eſſe. Ea re permotum Regem eundem Ladiguerių̃ in Ordinē S.Spiritûs adlegiſſe. Cùm Rex per aliquot dies Rhotomagi ſe continuiſſet, inde in Meldas profectus eſt, comitia habiturus, in quibus de fœdere cum Angla & Hollandis continuando, deque hæreticis coronæ Franciçæ ſupprimendis, ageretur. Regem ſecuta eſt ingens Principum & nobilium numerus. Duæ legiones Heluetiorum, quæ nuper in Galliā vocatæ venerant, hoc tempore propter pecuniæ defectum exauthoratæ in patriam redierunt. Aderat iam tempus quo more antiquo Maſſilienſes nouum Magiſtratum eligerent. Cùm itaque ad electionem ventum eſſet, maxima inter partes diſſidentes orta eſt controuerſia, quæ paulatim vires aſſumens, parum aberat, quin ciues in mutua vulnera concitaſſet. At Ducis Guiſij peropportunus aduentus turbam hanc compoſuit, & ciues quietos reddidit. Miſerat Angla legatum ſuum in Galliam: is Regem Rhotomagi conuenit, & quę in mandatis habebat ei expoſuit. Rex deinde cum legato toto triduo in ſecretiſſimo concilio variis iisque arduis de negotiis egit. Peractis omnibus legatus regia quędam ſuę Principis munera, inter quæ adamas 6000. coronatis æſtimatus fuiſſe dicitur, donauit. Interim Ladiguerius iam Corſi loco Gubernator Delphinatûs conſtitutus, Pariſiis Parla-

Comitia in Meldis.

Tumultus Maſſilienſis.

Parlamento inſtat, ne qua pax cum Sabaudo ineatur. Omnia captabantur in Galliis conſilia, quibus modis Hiſpano reſiſti, & bellum contra eum poſſet cõtinuari. Sed vnum inuenerunt, eumque non minimum defectum, pecunię ſcilicet inopiam, cui malo in Regno iam paupere, & tot annorum bellis exhauſto, auri argentíue non feraci, difficulter potuit inueniri remedium. Lugduni Gubernator capitis pœna interdixit, ne quis litteras vllas in Hiſpanias mitteret. Magnus Nobilium eorum, quibus pacis tempore res anguſta domi eſt numerus, vitam fortunasq; omnes quę multę nõ erant, Regi pro defenſione coronæ Gallicæ obtulerunt. Addit & Francus, circa hęc tempora in Galliis decretum, in Prouincia Gubernatorem ſingulis annis mutandũ, & alternis Hugonottę hanc Præfecturam committendam eſſe.

Nondum peſtis per Galliam extincta erat. Pariſijs maiores quotidie vires ſumpſit, quare multi vrbe relicta rus conceſſerunt. Princeps Nemouria ab hac lue non fuit immunis, & duę ex aulicis eius virginibus ea correptæ obierunt. Eſpernonij quoque Ducis multi domeſtici & nobiles extincti ſunt. Quare Parlamẽtum eò Lugdunum eſt tranſlatum, & menſe Auguſto Præſides duo, Conſiliarij, Aduocati & Procuratores multi cum vxoribus & liberis, numero circiter 200. Lugdunum venerunt. Hic Rex generalę iudicium incolis (*Grand Iours* dictum) admi-

Parlamentũ Pariſienſe Lugdunum migrat.

adminiſtrari iuſſit, quod à multis annis in ea vrbe ob ciuiles motus neglectum fuerat. In hoc iudicio multi cuiuſcunque ætatis, ſexûs & conditionis homines accuſati, damnati, & meritis ſupplicijs affecti ſunt, etiam ob crimina ante multos annos commiſſa, nō tantùm in vrbe Lugdunenſi, ſed è Breauiolo iſia, Foreſia, Borbonoſia, & Arue[illegible]ia (quæ etiam iuriſdictionis Lugdunenſis ſunt) quāplurimi rei Lugdunum attracti, ſupplicijſq; affecti ſunt.

Inundatio Pariſijs. Decembris 20. (aut vt alij 22.) tanta fuit Pariſiis inundatio, vt aquarum impetu pons ampliſſimus, quo Sequana ad portam Momies (alij Mounieres ſcribunt) ſternitur, ſubſedit. Erant in eo ponte quadraginta quinq; ædes conſtructæ, quas omnes aquarum vortices, vnà cum 400. circiter hominibus inuoluerunt & abſorpſerunt. Eluxit hîc memorandum diuinæ prouidentiæ exemplum. Cùm omnes iſti homines perierint, dimidio infra vrbem milliari cunæ inuētæ ſunt, in quibus duo infantes ludibundi, iuxta ſe poſiti, ſani & incolumes inuenti ſunt: quos fluuius in ripam expoſuerat. Hi cum magna hominum admiratione in vrbē illati ſunt. Poſtridie Natiuitatis Domini Caluiniani in ſuburbio Pariſienſi conuenientes, publicè concionati ſunt. Id cùm contra iuramentū à Rege præſtitum eſſet, Catholici quidā indignè tulerunt, & concionem perturbârūt. Hinc orta ſeditio, & plus quàm trecenti homines

mines ad arma proruerunt. Accurrit Bullonius, Caluinianorum iam quaſi vnicus eo in Regno propugnator, qui aſſumptis quibuſdam Heluetijs Catholicos oppugnauit, eos arma ponere coêgit, & quinque captiuos fecit.

Angli poſt expeditionem Hiſpanicam quieti fuerunt, diuidendis ſpolijs, & lugendis mortuis occupati. Regina interim nouas aliquot copias mittit Hollandis, & Comberlandum quoque cum quinquaginta nauibus emiſiſſe dicitur, ad nouã (vt exiſtimãt) expeditionem. At ea expeditio in mercatores, non hoſtes, erat inſtituta. Breui enim reuerſus Comberlãdus quadraginta captiuos, 2800. ciſtas ſaccharo plenas reportauit. Angla metuens ingentem claſſem, quam Hiſpaniarum Rex paratã habebat, ſuas etiã naues, quæcunque ad bellum aptæ erant, inſtruxit: ex Hollandia & Zelandia quoque nonnullas expectabat. Quia verò non omnia in Hibernia erant quieta, ſed Hiſpanus in ea inſula multos haberet amicos, [illegible] reſium cum nouis copiis eò miſit, qui antiqua præſidia suppleret, & omnia in meliorem formam redigeret. Naues etiam aliquot bellicæ eò ad portuum cuſtodiam miſſæ ſunt. Paulo poſt Anglici piratę aliquot naues captas, inter quas Hollandicę & Vvandalicarũ, Septentrionaliumque vrbium quædam fuêre, in Angliam traxerunt.

Italia quoque his mẽſibus fatalibus ſuis con-

Tempeſtas et inundatio in Italia.

concuſſa eſt cladibus. Septembris die 10. D. Burchardo ſacra, tam ingens inter Finalem & Artegnum tempeſtas exorta eſt, vt obuia quæque euerterit: præter alia incredibilia damna, non tantùm arbores, ſed & magnificas ædes aquarum impetus euerterit, ſecumque abripuerit. Quod damnum à nonnullis quinquies centenis aureorum millibus æſtimatur. Huic malo accedebat ingens per totam Italiam fames, maximaque frumenti inopia, quam vt ſubleuarent Principes, è ditionibus exteris magnam frumenti copiam ſibi ſuiſque comparârunt. In Calabria, Regno Neapolitano, & Sicilia, omnes exteræ naues cum mercibus magno mercatorum malo detinebantur. Decimo quarto Septembris Cardinalis Toletanus ex hac terrena vita in illam cæleſtem tranſmigrauit. Paucis ante diebus teſtamentum condiderat, in quo hæredem inſtituit Baſilicam S. MARIAE Maioris: cui reliquit triginta ducatorum millia, quorum fructibus quotannis duodecim virgines nubiles, & honeſtæ, matrimonio elocarentur. Præterea vni è nepotibus Summi Pontificis in ſingulos annos duo coronatorum millia legauit, & ſingulis ſuis domeſticis quædam donauit. Bibliothecam ſuam quinque coronatorum millibus æſtimatam Collegio Patrum Societatis IESV, & quingentos coronatos Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Maioris, in qua & ſepultus eſt, teſtamento reliquit.

Fames.

Calabria

Moritur Frã. de Toledo Card.

Circa

Circa hæc tempora Princeps Auria claſſem, qua cum in Orientem nauigârat, ad Turcicam claſſem, ſi quid moliretur oppugnandam, in siciliam reduxit. Creſcebat in Italia fames, quare Hiſpaniarum Regem flagitauit Pontifex, vt in ſuis ditionibus certam frumenti copiam ſibi colligere, & Romam aduehere liceret. Quod rex illi minimè negandum putauit. Idem fecêre Sardi. Sed & Marcus Columnus 4500. *rubios* (menſuræ genus eſt) tritici, hordei verò 15000. rubios tradidit: Legatus quidam Regius è Catalonia per hos dies Mediolani duodecim millia ſclopetorum, totidem bipennium, & haſtarum emit; & in Hiſpaniam tranſuexit.

Duodecimo die Octobris D. Petrus de Medices Romæ à Pontifice veniam impetrauit. Spem enim ei fecerat Pontifex, Regem controuerſiam, quæ ei cum fratre magno Duce Hetruriæ erat, compoſiturum, effecturumque, vt Magnus Dux ei quotannis ſexaginta ducatorum millia dependat.

Venetorum Archithalaſſus cum ſuis hoc tempore duas naues prædatorias Vſcochiorum ceperunt, & qui in iis inuenti ſunt malè multârunt.

Eodem hoc menſe Septembri Prorex Neapolitanus omnes exules, ſeu Banditas, Neapolim data ſecuritate vocauit.

His

His propoſitum eſt è duobus vnum eligerent, aut Cardinali Auſtriaco aduerſus Gallum militarent, aut in triremibus, quamdiu viuerent, contra Turcam mererent. Ex his duobus prius elegerunt, deſcendentesque naues confeſtim Genuam nauigârunt. Cùm autem Caietæ appropinquaſſent, à præſidiariis eiuſdem loci, tanquam incogniti, magno cum furore nauibus maioribus aliquot tormentis perforatis perditi ſunt. Eodem tempore Gubernator vrbis Romanæ præteritorum annorum edicta, contra eoſdem exules renouauit, præcepitque, vt omni cum diligentia obſeruarentur, caperentur, & Romam perducerentur. Quatuor etiam ex primariis proſcripſit, ſi quis eos viuos Romam perduceret, mille coronatis, ſi quis occiſi caput, dimidio donaretur. Hac ſeueritate ſe exules oppreſſuros ſperabant, effectumque vt breui Neapoli tredecim extremo ſupplicio ſublati ſunt.

Noui Cardinales creati.

Octobris vicesimo nono Pontifex Collegium Patrum Purpuratorum conuocari iuſſit, & duos Cardinales, vnum è familia Auignonia, alterum Briulia magna cum ſolennitate creauit. Qui poſt peractas viſitatas ceremonias à viginti Cardinalibus, & domeſtica Pontificis nobilitate in Palatiũ perducti ſunt: in quorum honorem omnia maiora vrbis tormenta diſploduntur.

Menſe Decembri veredarius ex aula Cæſaris Romam venit cum litteris, quibus

Pon=

Pontifici ſignificabatur, quid ea æſtate contra Turcam actum eſſet, cum excuſatione infortunij, damniqúe ad Kareſtam accepti. Addebatur, neque Cæſari, neque Electoribus vnquam in mentem veniſſe, vt cum hæreditario hoſte paciſcantur: ſed omnibus vnam, eandemq́ue mentem eſſe, Turcam vita fortunisq́ue omnibus perſequi. Pontifex ſolicitus de tanti belli exitu, omnem mouebat lapidem, vt Polonum in huius belli ſocietatem pertraheret. Hanc ob cauſam bis aut ter Conſiſtorium Cardinalium conuocauit, in quo tandem decretum, quindecim millia armatorum in ſubſidium Cæſari mittenda, ſex millia ſumptibus Pontificis, cætera Principum aliorum, ea tamē lege, ſi Cęſar velit omnibus his copijs Italum Ducem præfici. Hęc vt ad Cęſarem referat Dominus Farneſius legatus eſt. Legatum quoque Pontifex in Hiſpaniam miſit, cum literis, quibus petebat, vt Rex deſpiceret, an quoquo modo poſset vnà cum Polono in fœdus contra Turcam tranſire.

Romæ agitur de auxilijs contra Turcam mittendis.

In Hiſpania varij fiebant ad nouum bellū apparatus. Tingis Mauritaniæ ad fretum Gaditanum vrbs eſt, non procul à Ceuta, quæ Regis Philippi paret imperio. Videntes Barbari Regem à totius ferè orbis Principibus oppugnari, oportunum tempus iam eſſe rati ſunt, vt & ipſi fortunam experiātur. Coacto igitur clam ingenti Barbarorum numero, Ceutam ex improuiſo occupare tentârunt.

Mauri ſeu Barbari Ceutæ inſidiantur.

Sed huius rei certiores facti Chriſtiani diligentiſſimas egerunt excubias, omniaque ad defenſionem neceſſaria præparârunt. Quod cùm Tirgitani intellexiſſent, dimiſſo exercitû nihil hoſtile tentârunt. Archithalaſſus Caſtiliæ, qui cum Luſitanis nuper in controuerſiam venerat, ea iam ſedata, cum centum nauigiis & triremibus optimè inſtructis oram ſoluit, vt claſſem Indicam comitetur: deinde, ſi qua ſe offerat occaſio, aliquam in Anglos expeditionem ſuſcipiat. Eodem tépore Comes di Arios in freto Gaditano nauem Anglicam, quæ ſimulabat annonam eas in partes importare velle, cepit. In ea inuenta ſunt tormenta bellica quadraginta, & alius apparatus, quæ (vt fama & ſuſpicio erat) Turcis mittebantur. Fuerunt & in naui iſta centum viginti claſſiarii, vtilis ad remos prȩda. Prȩcedenti libro diximus regna, prouincias & vrbes coronæ Hiſpanicæ ſubiectas, Regi immenſam pecuniæ vim, ad bellũ cum Anglis, Gallis, & Belgis, hoſtibus ſuis continuandum, obtuliſſe. His paulatim alia regna & prouinciæ acceſſerunt, & certatim Regi ſuo gratificari voluerunt. Summa, quã obtuliſſe dicuntur, triginta Milliones (vt loquuntur) excedit. Hanc quindecim annorũ ſpatio, ſingulis videlicet annis Milliones duos ſe perſoluturos communi omnium conſenſu promiſerunt.

Ingens pecunia Regi à ſubditis oblata.

Initio Octobris in portu ſancti Lucar

viginti ſeptem nauigia cum mercibus pre-
cioſiſſimis ex Oriente appulſæ ſunt, vti etiã ex Calecuto Vlyſſiponam ſeptem: aurum verò & argentum quotidie expectabatur, quod diuerſis nauibus tandem decimo die Octobris Hiſpalim abſque vllo periculo aut impedimento aduectum eſt. Sunt qui volunt merces, argentum & aurum hac claſſe aduectum duodecim: ſunt alii, qui viginti duobus millionibus æſtimari ſcribunt: cui prædæ Angli variis locis, ſed irrito conatu inſidiabantur. Claſſibus his Indicis ſaluis Rex imperauit claſſem nouam inſtrui, naues externas nullas dimitti, omnes ad bellum parari, operas vrgeri, vt prima data oportunitate claſſis, quò vellet, educi, hoſteſque ſuos etiam nauali prælio fortiſſimè aggredi poſſet.

Archithalaſſus iam centum viginti duo maiora nauigia & triremes inſtructas habebat, in iiſque Hiſpanorum & Luſitanorum quatuordecim millia. Erat & inter Proceres frater Comitis Tironis, qui quaſdam munitiones in Hibernia occupauerat, & bellum contra Reginam Angliæ gerebat. Hinc nata ſuſpicio claſſem hanc contra Anglos parari. Interea claſſiarii fortunam tentantes prædatum cum aliquot nauibus egreſſi ſunt, obuiaſque habuêre naues Anglicas ſeptem, è Syria venientes, pretioſis, exoticiſq; mercibus oneratas. Quas armata

manu ſuperârunt, nautas & claſſiarios vinculis incluſos, & ad remos poſitos, vnà cum naui & mercibus in Luſitaniam perduxerunt. Rex etiam mercatorum omnium Indicas merces arreſto detineri iuſsit. Cauſa erat quòd ſtatim vbi naues eſſent appulſæ, mercatores ſua nauibus eximerent, & poſtea portionem quam Rex ſoluit, pro voto ſuo magno Regis incommodo, ſuo autem commodo conficerent: pro centum enim nummis quadraginta præter ſortem poſtulabant. Publico igitur edicto cauit, ne quis aurum vel argentum attingat, donec aliter ſtatutũ fuerit. Præterea cùm Rex certis indicijs cognouiſſet, multum auri & argenti è Regno in exteras prouincias exportari, capitis ſupplicio interdixit, ne quis id in poſterum audeat: præſertim cùm intellexiſſet aurum & argentum à ſe ſignatum, & in alias regiones illatum, aliorum Principum imagine & inſcriptione ſignari; taceo imminui & adulterari. Imò magnos theſauros in Orientem mitti, & in ærarium Sultani Turcici inferri. Paulò poſt claſsis egreſſa, nautarum inſcitia in promontorium quoddam impacta, viginti octo circiter naues amiſit.

Coronatio Regis Daniæ. Fredericus II. Daniæ Rex vnicum tãtummodo filium Regni ſucceſſorem reliquit, Chriſtianum eius nominis Quartum. Qui, etſi patre mortuo ab omnibus Regni ordinibus pro hærede & legitimo coronæ Danicæ ſucceſſore acceptus eſſet, tamen quia ad legiti-

legitimam ætatem nondum peruenerat, coronare eum Regnicolæ noluerunt: ſed expectare, donec ad eam ætatem perueniſſet, quæ huic oneri eſſet idonea, vt interea quid ab illo expectandum eſſet obſeruarent. Incidit hæc ætas in annum Dominicum 1596. Magnus itaque hac æſtate factus eſt apparatus, inutilesque ſumptus multi. Viceſimo itaque nono Auguſti, cùm varij Principes, Principumque legati conueniſſent, coronatio facta eſt. Principum omnium primus, qui Hafniam appulit, fuit Adminiſtrator Halenſis: quem Rex obuiam cum inſigni equitatu profectus, in vrbem introduxit: vbi ſpectacula quædam igniuoma incenſa ſunt, nô ſine damno & luctu incolarum. Vaſa enim quædam igne ſulfureo plena, ignem corripuerunt, & Baliſtarium flamma conſumpſit. Eadem flammâ collucente equus cuiuſdam pueri regij territus furere cepit, & deiecto puero crura, brachiaque comminuit. Nocte inſequenti, hora circiter ſecunda, aliud incendium excitatur, quo duodecim ędes conſumptæ ſunt. Hæc inauſpicata fuerunt huius ſolennitatis exordia. Poſtridie reliqui Principes & legati à duobus Regis fratribus in vrbem introducuntur. Ipſa deinde coronatio à tribus Epiſcopis Proteſtãtibus, Zelandię, Scanię & Furniæ facta eſt. Peractis omnib. ceremonijs varij ludi exhibiti ſunt, quos omnes longiori narratione proſequi noſtri non eſt inſtituti.

Legatio Regis Hiſpan. vxorem eius filio petens.

Exeunte menſe Auguſto legatus Philippi Secundi Regis Hiſpaniarum Pragam ad Cæſarem venit,& magnificentiſſimè exceptus eſt. Habebat in comitatu ſuo inſignem & perelegantem, qui præcedebat, equitatum, ſubſequebantur octodecim aut nouendecim Nobiles, quibus omnibus aureus à collo torques pendebat: veſtes eorum ex holoſerico, limbis aureis ornatæ, arma eorum omnia inaurata. Cauſſa legationis erat matrimonium Philippi Tertij Hiſpaniarum Principis: Etenim Philippus Secundus pater iam alterum pedem in cymba Charontis habens, hæredem tot Regnorum & prouinciarum è filio videre etiam atque etiam exoptabat. Quærenda igitur & inuenienda erat illi vxor. Sed cùm nobilior, aut illuſtrior aliunde, quam ex Illuſtriſſima & Sereniſſima Domo Auſtriaca (quæ vt Phœnix inter aues, ſic illa inter omnes vniuerſi orbis principatum tenens, & virtutibus, & generis nobilitate, ac diuitiis & imperio florentiſſima eſt: è qua tot Imperatores, tot Reges, tot Duces ac Principes orti) peti non poſſet, Sereniſſimi Archiducis Caroli Rudolphi noſtri Imperatoris patrui filiam poſtulandam putauit. Hæc huius tam inſignis legationis erat cauſſa. Cùm autem legatus aliquandiu Pragæ cômoratus eſſet, inde in caſtra profectus eſt, ac tandē ex caſtris in Styriā ad ſponſam, vbi à fratre eius incredibili cum honore & pompa exceptus eſt.

Tri-

Triceſimo Auguſti, altero poſt coronationem Regis Daniæ die, nuptiæ Ioannis Adolphi, Ducis Holſatiæ, Archiepiſcopi Bremenſis, & Epiſcopi Lubecenſis cũ Auguſta Regis Daniæ ſorore in arce Hafnienſi celebratæ ſunt: poſtquam ſponſus Epiſcopatus ſuos fratri reſignaſſet. *Nuptiæ Ducis Holſatiæ.*

Per hos dies vltra Rhenum in partibus Landauiæ peſtis paruis orta eſt initiis, quæ paulatim vires acquirẽs, vicina omnia loca infeſtauit: Vvormatiam, Spiram, Oppenheimum, Moguntium grauiter afflixit. Varia loca ad Rhenum ſita, Ducatum Vvurtzenburgenſem, & ciuitatem Vlmenſem depopulata eſt. Nec minus in Ducatu Lunenburgenſi, vrbeq́ue Hamburgenſi graſſabatur.

Carolus Dux Sudermanniæ, Regis Poloniæ patruus, & nunc Sueciæ Adminiſtrator, ante aliquot menſes pacem cũ Magno Duce Moſcouiæ fecerat. Hanc Rex ipſe per omnia obſeruare nec poſſe, nec velle afferebat. Moſcus nihilominus vt ſe conditionibus ſatisfacturum oſtenderet, quatuordecim Suecos nobiles, quos ante multos annos captiuos fecerat, dimiſit. Quibus vt Regi dicerent imperauit, ſe pacem initam ratam habere. Si Rex bellum malit, ſibi vires non defuturas. Referunt captiui Moſcum magnas copias militares quatuor locis paratas habere, omneſq́ue operarios Moſcicos è ditionibus Polonicis reuocare, qua ex re multi bellum ominantur.

Bellum ruſticum in Auſtria.

Aniſus fluuius, quem hodie *Enſſ* nominãt, in finibus Carinthiæ ortus, meridionalem Auſtriam diſpeſcit, & iuxta oppidum eiuſdem nominis in Danubium ſeſe exonerat. Occidentalem regionem ſuperiorem Aniſiam, orientalem inferiorem appellant. Agricolæ, qui ſuperiorem Aniſiam habitant, circa hæc tempora (vti & anno ſuperiore) nouas ſeditiones mouerunt. Triceſimo enim die Septembris octodecim millia in agro Krembsmonaſterienſi confluxerunt, vxores & liberos, domos & ſupellectilem omnem relinquentes, ac ſub certis ſignis co euntes. Initio hoſtile nihil tentabant, ſed cõmeatum ſibi tantummodo è vicinis oppidis mitti poſtulârunt. Qui cùm aliquàndiu abundè ſuppeditatus fuiſſet, ſeditioſi iſti agricolæ maiora auſi, vt in popularibus motibus ferè ſemper fieri conſueuit, commeatu ſolito contenti eſſe noluerunt: ſed omnes ſubditos in ſuam factionem cogere cœperunt. Si quis eorum partes ſequi nollet, huius equos, boues, oues, vaccas, atque adeò vxores & liberos rapuerunt, & hoſpitibus, cauponibusque oppignorârunt. Hoſtile nihil interea in caſtella, mercatus & oppida tentârunt. Cæſar audita hac ruſticorum ſeditione, miſit delegatos ſuos, qui eos paternè admonerent, meminiſſent ſe hac ſeditione crimen læſæ Maieſtatis commiſiſſe, pœnam capitis & amiſſionis omnium bonorum incurriſſe; velle tamen Suam Maieſtatem ipſis

iam

iam ſecundò ignoſcere, omnemque pœnam condonare, ſi domũ ad vxores & liberos reuertantur, ab omni deinceps factione ſeſe abſtineant. At agreſtes illi excuſſo iam obedientiæ iugo, & licentia deteriores facti, hanc Cæſaris indulgentiam contempſerũt. Quinimò & inferiores Aniſiani ſuperioribus ſeſe iunxerunt, qui duobus locis congregati, quinquaginta millia conficiebant. Cęſar alios denuò legatos ad eos pacandos miſit, & ſi obedire nollent, militem conſcribi iuſſit, quo eos in ordinem redigeret. Cauſſa huius ſeditionis fuiſſe dicitur, incredibilis quorundam nobilium auaritia, qui ruſticos ſuo dominio ſubiectos non aliter quàm mãcipia ſua tractabant.

Decembris die duodecimo inauguratio Ferdinandi Archiducis Auſtrię magna cum ſolennitate Sauarię (Gretzam hodie vocãt) Styrię Dux inauguratus eſt: ad quam feſtiuitatem Cęſar legatos ſuos miſit Epiſcopũ Goricenſem, Ioannem Comitem Thurnenſem, Comitem Ortenburgenſem, D. Leonhartium Herrachium, Ioannẽ Baronem in Heimb, & Michaelem Ehemum I.V. Doctores, & arcani Cęſaris Senatûs Conſiliarios. Hi omnes magnificentiſſima põpa, & multis lętitię ſignis excepti, omnibuſque tam maioribus, quàm minoribus tormentis bellicis ſalutati. Poſt factam inaugurationem, & propoſitionem Cęſaream ab Ehemio Doctore explicatam, poſt denique pręſtitum *Inauguratio Ferdinandi Ducis Styriæ.*

 iura-

iuramentum, inſignis Comœdia in honorem legatorum Cæſareorum à ſtudioſa iuuentutè acta eſt. Decurſionibus etiam equorum nobiles, & variis ludorum generibus plebeii ſeſe exercuerunt.

Viceſimo ſecundo die Decembris Coloniæ Agrippinæ Caluiniani, accerſito ad ſe ſuæ ſectæ Eccleſiaſte, in ædibus cuiuſdam ciuis conciones habuerunt. Ea res cùm magnifico Senatui ſuboluiſſet, violentiarum Magiſtrum eò miſit, qui cœtum hunc turbauit, Eccleſiaſtē in cuſtodiam miſit, dein Senatui tradidit, ciuem, in cuius ædibus concio habebatur, quinquaginta, vel, vt alii ſcribunt, octoginta florenis aureis multauit, omnes qui concioni interfuerunt in ius vocauit, non comparenti multa quinquaginta aureorum indicta eſt. Paulo ante omne etiā Caluinianæ ſectæ exercitium in terra Iuliacenſi interdictum eſt.

Chriſtiani collecto vniuerſo exercitu, & concilio militari habito, communibus omnium ſuffragiis decreuerunt Hatuam obſidere, & expugnare. Decimo itaq; tertio die Auguſti exercitu ex agro Vvaitzenſi moto, decimo quinto eiuſdem menſis circa meridiem Hatuam peruenerunt, tanta cum celeritate, vt Turcæ prius eos conſpexerint, quā de aduentu eorum quicquam intellexerint. Quare initio crediderunt, quaſdam copias eſſe, quæ prædatum excurrerant. Erumpentes igitur cum noſtris aliquamdiu velitârūt,

donec

donec vniuerſum aduentare viderent exercitum. Chriſtiani obequitantes munitioni, cùm omnia luſtrâſſent, caſtra oportuniori loco poſuerunt, attractiſque tormentis ſepimentum tribus diuerſis locis concuſſerunt. Erant in vrbe mille præſidiarii, vrbs latiſſima, foſſa, robuſtiſſimoque ſepimento muniebatur. Viceſimo ſecundo Auguſti ducenti Turcæ erumpentes in caſtra Chriſtianorum, magnam ſtragem ediderunt: edituri maiorem, niſi equites Chriſtianorum opportunè ſuis ſuppetias veniſſent. In hoc cõflictu tribunus militum Greiſius inter alios cæſus eſt: cuius milites omnes, eò quod prę fectum ſuum nõ ſatis fortiter defendiſſent, abſque armis ante ſolis occaſum caſtris exire iuſſi ſunt. Ceteris aliquot diebus conuellendo duplici pariete ligneo, terraq; intermedia extrahenda, quibus ſepimentum conſtabat, operam dederunt. Viceſimo quinto Auguſti cùm in caſtris matutina fieret oratio, ſacerdos quidam Turcicus turrim, è qua noſtri plurima damna accipiebant, aſcendit, noſtroſque multis conuiciis prõuocauit, ludificauitq́. His irritatus quidam Baliſtarius, tormentum in turrim hanc direxit, excuſſitque, & turrim vnà cum blaſphemo iſto ſacerdote euertit. Cùm iam Turcæ animaduerterent plures ruinas ſterni, vt diuerſis locis vrbem ſimul inuaderent Chriſtiani, dimiſſis animis deditionem eiſdem conditionibus, quibus Strigonienſes, obtulerunt.

Sed

Sed nihil ad hoc illis reſponſum eſt: imò militibus omnibus ſub pœna capitis interdictum, ne quis cum hoſte colloquatur. Ioannes Alberti à Sprintzenſtein, ſupremus in caſtris fabricenſis, tria nauigia ad oppugnationem mira induſtria præparauit, ab vno latere altis trabibus & aſſeribus craſſis munita: ſupernè robuſtis aſſamentis concamerata, & boum tergoribus tecta, ne ignẽ poſſent concipere. Septembris deinde tertio hæc nauigia in fluuium Zagivvam (qui vrbem circumluit, & iuxta Solnochã in Theuſſam ſeſe exonerat) ſubiectis rotis demiſſa ſunt, & à terra quatuor locis vrbs eſt oppugnata. Tandem inter quintam & ſextam horam veſpertinam, cùm pugna in octauã horam duraſſet, vrbs armata manu eſt expugnata, magno cum planctu & eiulatu mulierum & puerorum. Quatuor continuis horis in omnes cuiuſcunque ætatis, ſexûs & conditionis homines ſæuitum eſt. Nam etſi magni nominis & authoritatis Turcæ abiectis armis ſupplices in genibus veniam deprecarentur, impetrare tamen non potuerunt. Vagientibus in cunis infantibus & mulieribus prægnantibus parcitũ non eſt: paucis exceptis magnatum vxoribus, & liberis, vno Bego, & nonnullis aliis, qui ad examen ſunt reſeruati. Vvalonum nimia hic fuit barbaries, qui etiam prægnantium ventres diſſecuerunt, vt fœtus in vtero conſpicerent. Mulieribus quoque nonnullis & viris cutẽ de-

Hatua expugnatur.

detraxerunt, lora inde, ligulaſque conficientes. Quam immanitatẽ poſtea in ius vocati hoc titulo excuſârunt, quod exemplum hoc in Turcas ſtatuere voluerunt, ne in poſterũ tam obſtinati ſint, tam impiè de Chriſto loquantur, & indignè Chriſtianos habeant. Perierunt in hac expugnatione ex hoſtibus quatuor circiter millia, ex Chriſtianis trecenti: inter quos Vvalonum militum Tribunus. Inuenta eſt in vrbe, præter eam, quam ignis abſumpſit, præda ad aliquot centena millia nummûm æſtimata. Primus qui mœnia occupauit Terskius cum ſua centuria fuiſſe dicitur: quem Ruſwurmius mox inſecutus eſt: quorum vterque octo aut decẽ propriis manibus trucidauit. Nec minor Italorũ in hac expeditione fuit fortitudo.

Legatio Pontificis et Cæſaris ad Polonos.

Interea Cardinalis Caietanus, legatus Apoſtolicus, & Epiſcopus Cameranus Nuncius, nomine Pontificis: Epiſcopus Preſlauienſis & alii legati à parte Cæſaris Vvarſauiæ in Comitiis omnes ingenii ſui vires exeruerũt, vt Polonos ad commune fœdus inducerent. Inſignem & doctam hîc habuit orationem Caietanus, quę typis extat edita, in qua maximos præteritorum annorum ſumptus in bellum Turcicum, pro vtilitate totius Chriſtianitatis, potiſſimũ verò Regni Poloniæ à Pontifice factos commemorauit: ſed iis parum, aut nihil effectum, quòd Poloni à fœdere eſſent alieni. Miſiſſe nunc Pontificem ſe legatum cum plena poteſtate,

Cæſarem

Cæſarem quoq; ſuos Legatos addidiſſe. Orare igitur vt inter ſeſe Poloni deliberent, certoque ſtatuant, an communi fœderi contra Turcas adſcribi velint, an non. Quòd ſi noluerint, magna ipſos manere incommoda. Quod ſi contingat Cæſarem cum Turca pacem facere, fore, vt ipſi non tantùm Turcarum, ſed & aliorum Principum iniurijs exponantur. Reſpondit ad hæc Epiſcopus quidam Polonus; Magnas meritò Suæ Sanctitati habendas, tum ob incredibiles expenſas, tum etiam ob paternam curam, qua Chriſtianos omnes complectitur, gratias. Eaſdem etiam deberi Cardinali. Deinde commemorat quanta præſtiterint Poloni ante annum, ne Tatari per fines ſuos tranſirent in Vngariam; quo in prælio multos è ſuis amiſerant. Velle & deinceps facere quicquid in ipſorum eſſet poteſtate. In negotio verò fœderis non ſe poſſe tã citò determinare quid expediat. Hanc deliberationem longius tempus poſtulare.

Preslauienſis Epiſcopus Legatus Cæſaris hanc orationem alia facundiſſima excepit, qua oſtendit, quoties Cæſar Polonos litteris & legationibus ad fœdus inuitaſſet, ſed nihil efficere potuiſſe. Nunc Summum Pontificem ſuum legatum mittere, cum plena poteſtate hoc negotium conficiendi. Cæſarem paratum quaſcunq; conditiones

æquas accipere. Sperare eundem eas conditiones Polonos propoſituros, quæ Suæ Maieſtati nec turpes futuræ ſunt, nec inutiles. Orare autem delegatos Regni, ne diſcedant, priuſquam aliquid certi in hoc negotio conſtitutum fuerit. Cæterùm vti præcedentibus legationibus, ita nec hac quicquã effectum eſt, Polonis à fœdere abhorrentibus.

Dum hæc aguntur Sultanus Othomanicus Belgrado mouet, & interiora Vngariæ cum exercitu, præmiſſo Cicala Baſſa, ingreditur. Fames & peſtis Conſtantinopolim hoc tempore grauiter affligebat. Quamobrem Sultanus omnes, qui infra quinquennium eò commigrârant; iuſſit vt vrbe cederent, alioque ſe transferrent. Tranſyluanus audito Sultani aduentu omnes ſuos ſubditos recenſuit, nobilitatem Albam Iuliam conuenire iuſſit, ipſe deinde ad Siculos profectus, omnem controuerſiam ſuſtulit. Paulo ante Haiducci è Valachia mille trecenti in Bulgariam profecti, ampliſſimam vrbem Babam occupârunt, & ſpoliârunt: centum quinquagiuta currus auro, argento, alijsque rebus pretioſis oneratos, multas fœminas & pueros nobiles reportârunt. At in reditu Baſſam cum duodecim armatorum millibus obuium habuerunt, cum quo diem & noctem integram pugnârunt. Cùm autem ſe inferiores cernerẽt, captiuos occido-

Sultanus Turcicus in Vngariam venit.

Babam capiūt Valachi.

occiderunt, prędam incenderũt, cùm prius quater mille ex hoſtibus trucidâſſent. Eadẽ fortuna fuit Lippenſibus Huſſaris, qui prædatum in hoſticum excurrerant. Econtrario Vaiuoda Valachicus in Danubio ſex magna nauigia militibus, commeatu, apparatuque bellico onerata adortus, ſuperauit: mille ducentos Turcas interemit, prædam omnem, incenſis prius nauibus, ſecum auexit. Zengẽſes eodem tempore duas naues Turcicas interceperunt: in ijs merces ducentis millibus nummûm æſtimatas inuenerũt, quas omnes in tutum comportârunt.

Victoria Vaiuodæ, Valachiæ.

Venit tandem poſtridie Calen. Septemb. Sultanus Turcicus Budam, cum ducentorũ circiter millium exercitu, & trecentis machinis campeſtribus. Mox quadraginta millia Temeſvvariam miſit, ipſe cum reliquo exercitu Budę ſubſtitit. Chriſtiani metuentes ne Hatuam ex improuiſo adoriretur, & ſe nondum paratos ad prælium eliceret, nono Septembris exercitum à munitione Hatuana abduxerunt, & non procul à VVaitza caſtra metati ſunt. Etſi Archidux, antequam Hatua diſcederet, ſeptingentos pedites, & quingẽtos equites ad oppidi cuſtodiam reliquiſſet, tãtus tamen inter Chriſtianos terror erat, vt oppido poſtridie incenſo, & relicto, in caſtra redierint. Viennæ quoque ad famam aduentantis hoſtis trepidatum eſt; imperatum vt omnes ad bellum ſe parent, vt ſi neceſsitas poſtulet, vigeſimus, decimus,

aut

aut quintus quiſque è ciuibus hoſti obuiam procedat. Operas quoque magiſtratus vrgebat, & collapſa diu noctuq; reſtaurabantur. Imperator iuſſit vt ſuburbia incenderētur; ſed conſilium illud mutatum eſt. Publica tamen conuiuia, epula, choreæ & ludi interdicta ſunt. Trāſyluanus etiā obtulit Cæſari, ſi Sultanus in Vngariam progrediatur, ſe oportuno tempore adfuturum; & ſuppetias laturum, modò à Giaffero Baſſa, qui cum 29. millibus Turcarū finibus ſuis imminebat, non deſtineatur: petijtque viciſſim, vt ſi in ſe belli moles vertatur, Cæſareani ſibi ſuccurrant. Quæ dum tractantur, equites mille quingenti Sileſij Albam Iuliam venerunt. Lippenſes quoque & Lugaſcij à Trāſyluāno maiores copias flagitârunt: aſſerentes oportunū iam tempus eſſe præclari aliquid contra hoſtes gerendi, cùm decem tantùm Turcarum & Tatarorum millia Danubium traiecissent.

Baſſa Boſniæ, vicini Baſſæ & Begi conſpiratione facta exercitum quinquaginta millium armatorum collegerūt, & Septembris die decimo Petriniam in Croatia arctiſſimè obſederunt. Magna celeritate vſi ſeptem diebus ſubſequentibus tormentis adeò mœnia diſturbârunt, pyrobolis immiſſis tot locis incendia excitârunt, munitionem Begi Ruſti ſic ſuffoderunt; vt poſt Deum nemo hanc vrbem biduo tueri poſſe videretur. Cùm in hoc diſcrimine verſaretur ciuitas, Ioannes

Petriniam obſident Turcæ.

Sigiſmundus Herberſteinius, & Georgius Leukovvitzius euocatis è Croatia & Vvindiſmarchia, quæcunque potuêre, præſidiis, Petriniam magnis itineribus contenderũt. Sed cùm in tanta celeritàte omni apparatu bellico deſtituerentur, nec pontem ſternere poſſent, per quẽ copias Culpã traducerent, Siſſecũ digredi voluerunt, vbi D. Baanus tumultuarium pontẽconſtruxerat. Quòd cùm cognouiſſent hoſtes, rati Chriſtianos fugere, Culpam traiiciunt Turcæ numero ſexies mille, & in noſtros impetu quodam feruntur. Chriſtiani periculum in quo erant conſpicati, ſeſe vertunt, & expeditis armis hoſtes aggrediuntur, eos fundunt, fugant, & in Culpam fluuiũ præcipites agunt: ita vt quadringenti in primo conflictu, & inter hos Huſſanus Begus cum aliis nonnullis magnæ authoritatis Turcis abſorpti ſint: multi etiã cæſi, multi capti, & plurimi inſignes equi in noſtrorum poteſtatem venerint. Poſt prælium hoc Chriſtiani Siſſecum eodẽ die profecti ſunt. Ibidem poſtridie per pontem exercitum traduxerunt, eo conſilio, vt hoſtes in caſtris inuaderent, aut vbicunque inuenirent, aggrederentur. Cùm itaque inſtructis ordinibus per ſyluam incederent, & iam dimidio ab vrbe milliari abeſſent, Serdarum cum octo millibus equitum, & aliquot millibus peditum obuium habuerunt: qui ſtatim in peditatum Chriſtianorum inuectus eſt. At Chriſtiani magna fortitudine hoſtiũ

Turcæ cæduntur.

vim

vim ſuſtinentes, quoſdā in fugā coniecerūt, quoſdā magni nominis, inter quos Serdari pater, occiderūt. qua in pugna multi Turcæ, equi, & Serdari vexillum captum eſt. Exiſtimabant Chriſtiani potiorē hoſtiū numerū adhuc in caſtris ad Petriniā eſſe. At è captiuis didicerunt, tormenta pridie caſtris extracta, & in tutū comportata: pleroſq; etiā Turcas relictis caſtris fugiſſe, ſolū Serdarū cū 8000. equitum & Ianitzaris permanſiſſe, & Chriſtianos ad prælium expectare. Initio id credi non potuit: auditis poſt omnibus circumſtantiis, læti ad caſtra profecti ſunt, quæ vacua inuenerunt, vrbemq; cum maximo obſeſſorum gaudio tanto periculo liberârūt. Cognitū eſt è captiuis 50000. armatorū initio in caſtris, ſub 3. Baſſis, & 8. Begis fuiſſe: ex his 1500. duabus oppugnationibus trucidatos, reliquos in Culpa abſorptos, in campis cæſos, & fugatos: Serdari conſilium fuiſſe, capta Petrinia Carolopolim omni cōtentione expugnare.

Petrinia obſidione liberatur.

Dum hæc fiunt, Archidux cum parte exercitus Budam proficiſcitur, vt exercitum hoſtilem, nondum ad pugnam paratum ex improuiſo inuaderet. Sed dum in via eſt, tanta exorta eſt tempeſtas, vt vltimā diē inſtare crederent. Hanc quidā à magis Turcicis excitatā putant, vt noſtros à pugna prohiberent, quidam magnæ cædis portentum eſſe.

Agria inſigne & antiquum in ſuperiori Vngaria oppidum, mœnibus munitum eſt,

Turcæ Agriam obſident.

& Epiſcopali ſede nobilitatũ. In hoc Mahumetes in Vngariam veniens oculos cõiecit, miſitque exercitum, qui illud obſideret. Quod cùm Chriſtiani intellexiſſent, eò cõfeſtim Tarskium cum inſigni Germanorum & Italorum manu, mille etiam ſclopetarijs deſtinârunt: qui eò feliciter appulit, & ante obſidionem Teufenbachius tria peditum millia, ſub ductu Comitis Ioannis Iacobi à Turn, cùm maximo belli apparatu in vrbem inuexerat. Ipſe autem Teufenbachius cùm reliquis ſuis copijs excelſum ante vrbẽ montem occupauit, è quo maxima damna obſeſſis inferri potuiſſent. At paulò poſt eundem montem deſerere compulſus eſt. Vigeſimo primo Sept. ipſe Sultanus, Giaffara, Ibraime, Haſſano, & Cicala Baſſis comitatus, cum centum quinquaginta millium exercitu vrbem obſedit, caſtraq; inter Tibiſcum & Danubiũ locauit. Quinque confeſtim propugnacula excitauit, vnde tantis viribus, tantoque tormentorũ impetu mœnia concuſſit, vt obſeſſis noctes atq; dies in armis eſſe, vt ſe defenderent, neceſſum fuerit. Etſi autem mœnia eſſent ampliſſima, nec ſatis munita, quæ à tam exigua præſidiariorum manu defendi minimè poterant, iure omni vrbem primo die incendere, atque deſerere, & arcem, in qua omnis poſita erat fiducia, tueri potuiſſent, tamen in ſextum diem hoſtiũ furorem ſuſtinuerunt, fortiter ſeſe defenderunt, & ingentes clades Turcis intulerunt. Cùm autem

rem periclitari cœpiſſent, vrbem iniecto igne exuſſerunt, & ſe, ſuaq; omnia in arcem tranſtulerunt. Quod cùm hoſtes viderent, magno cum impetu in vrbem irruerunt, lateribus noſtrorum adhærentes, ſimul in arcem ſeſe immittere tentârunt: ſed ita à noſtris reiecti ſunt, vt non exiguus eorum numerus in ipſo cōflictûs loco ceciderit. Arci adiacebat ingens, & munitum propugnaculum, ad hoc conuerſis plurimis tormentis aliquot diebus Turcæ fulminârunt. Cumq; illud multis locis diſturbaſſent, biduo duodecies cum ingēti ſuorum clade fruſtra oppugnârunt, nec ceſsârunt, priuſquam illud tertia decima oppugnatione, quæ omnium erat violentiſſima, occupauerunt. Poſtridie Chriſtiani ex arce erūpentes propugnaculum eiectis inde Turcis denuò recuperârūt, qua in pugna ingens iterum Turcarū numerus corruit. Chriſtiani triginta deſiderati, plures vulnerati ſunt. Obſeſſi varijs litteris & nuncijs auxilia implorârunt, ſignificātes ſe defectu pulueris ſulfurei, & globorū arcē diu tueri nō poſſe; quod etiam Sultanus non ignorabat. Propoſitū erat obſeſſis munitionem ad vltimū vſque virum tueri, & pro amore patriæ & Religionis vitā & ſanguinē profundere, quàm hoſti eam tradere. Etſi Sultanus iam ſæpe litteris & fecialibus miſsis eos ad deditionem inuitaret, vitam illis fortunaſque ſaluas promittens, econtra verò diriora & immaniora, quàm quæ ipſi in

Hatuanos ſtatuerant, minitans, ſi reſiſtant, nunquam tamen reſpondere voluerunt. Interdixerat enim hoc Terskius, erectoq; medio foro patibulo edixit, vt quicũque deditionis mentionem facerent, ex eo ſuſpenderentur. Interim maximis omnium votis ſuppetiæ expectabãtur. Sed & Archidux, Tranſyluanus, & Vngaricæ copię nihil intẽtatũ reliquerunt, vt hoſtem in caſtris inuaderẽt. At mora nimis fuit pernicioſa; dum enim exercitus coëunt, continui imbres itinera reddiderunt imperuia, & conſilium caruit euentu. Interea Sultanus apud Tranſyluanũ acriter pacem vrgebat, magnifica illi promittens, & plurima offerens. At Tranſyluanus maluit in fœdere cum domo Auſtriaca conſtanter perſeuerare, hoſtem ſe Turcis exhibuit, & noſtris ſcripſit, ſe cum ſuis, ſi obſeſsis Agrienſibus opem ferre decreuerint, tẽpori adfuturum, virumq; ſe præſtiturum. Viceſimo ſecundo Sept. totus exercitus Strigonium appulit, vbi Archidux Maxim. magnificê exceptus eſt. Manſit ibidem ſequenti die legionem expectans Auſtriacam, quæ eodem die acceſsit. Poſtridie totus exercitus recenſitus eſt, & luſtratus, præceptumque ſingulis, vt ſex dierum commeatum ſibi compararẽt. Quarto die edictum, vt omnes ſub ſuis ſignis ad iter ſeſe prępararent. Omnibus præparatis ſummus militũ Tribunus equitatum Vvaitzam primò, inde Hatuam, ac demum Agriam perduxit, omneſque tam Ger-

Germani, quàm Itali ad hanc expeditionem fuêre promptiſsimi. Viceſimoquinto Septembris Palſius Vngaricas copias, pedites ſexies mille, equites verò quater eduxit, qui omnes agricolas magis, quàm milites referebant: quingentos etiam Haiduccos, & trecentos præmiatores, ſeu prædatores ſecū rapuit. Prædatores illi ante abitū ſuum in agrum Budenſem irrumpentes, centum octoginta boues abegerant: in horto etiam quodam tres primarios Turcas, & nonnullas fœminas, inter quas Begi Budenſis vxor, deprehenderant: quos omnes captiuos Archiduci donârunt, & alijs viciſſim munerib. ab illo donati ſunt. Tranſyluanus etiā octodecim armatorum millia collegerat, & in his octo millia equitum mercenariorum, mille quingenti è ſua nobilitate. Pedites ferè omnes è ſuis erant prouincijs ruſtici: tamen in bello exercitati. Cum his Agriam contendebat, quadraginta ſecū trahens tormenta bellica. Bozkaium cum reliquo exercitu in Trāſyluania reliquit, ne ipſo abſente patria damni aliquid acciperet. Hoſtes noſtrorum aduentûs certiores facti, cùm viderent ſe tormētis parum proficere, omnem operam conuertertunt in foſſa, quæ arcem inter & montem vinarium interiacet faſcibus lignorum, aliaq́; materia implenda. Vt aūt hoc opus vrgeret Sultanus, per omnia caſtra equitauit, admonens ſuos, vt in lignis, ceſpitibuſq; & terrarū ruderibus ferendis ſe ſtrenuos exhiberent.

Tranſyluani copiæ.

Obſeſſi iterum erumpentes multos hoſtes trucidârunt, Ibraimimq́; ſummum Vezirim Baſſam cum omnibus ſuis in fugam coniecerunt, adeoq́; celeriter inſecuti ſunt, vt Ibraimis ipſe in fuga Tulipantum amiſerit, ac penè viuus in manus noſtrorum venerit. In hac pugna Terskius glande tormentaria in capite, ſed non lethaliter, vulneratur. Decimo Octobris Turcæ denuò arcē ſummis viribus inuadunt. Obſeſſi quatuor oppugnationes fortiter ſuſtinuerunt, quater hoſtes à mœnibus incredibili ipſorum damno reiecerunt. At quinta oppugnatione Turcæ antiquum caſtrum, nouo vicinum, armata manu occupârunt: in qua Chriſtiani circiter octingenti trucidati ſunt. Capto hoc caſtro Aga quidam Turcicus Sultano quadringenta Chriſtianorum capita obtulit, quo ſpectaculo Barbarus mirè oblectatus eſt. Turcæ potiti iam hoc veteri caſtro, nouum, in quo omnis ſpes erat poſita, multo maiori, quàm antea, ſtudio & diligentia aggreſſi ſunt: arcemq́; quatuordecim diuerſis locis ſuffoderunt, & duodecimo die puluerem cuniculis iniecerunt, omniaq́; ad eruptionem, arciſq́; euerſionem parârunt, ita vt iam arx manifeſtiſſimo expoſita eſſet periculo. Cùm itaque obſeſſi rem cōclamatam viderent, nec quicquam de ſuppetijs audirent, vim hoſtium diutius ſuſtinere noluerūt: ſed tumultuari cœperunt. Duo præfecti Niari Paulus, & Terskius eos ſacramenti præſtiti admonuerunt,

Turcæ occupant antiquum caſtrum.

runt, poſitiſque genibus eos ad conſtantiam exhortati ſunt: imò Terskius ſupplex orauit, vt ſi arcem diutius defendere nollent, ſe ante omnia occiderent, ne tantam perfidiã videret. At nihil his neque monitis, neque orationibus effectum eſt. Interim ducenti quinquaginta milites, inter quos multi Itali, clam ex arce elapſi in caſtra hoſtium trãsfugerunt, quorum Religionem amplexi, Mameluci facti ſunt. Ea res ceterorum militum animos ita conſternauit, vt confeſtim cum hoſte colloqui cœperint: qui illis data fide ſe omnes cum impedimentis & gladijs dimiſſurum promiſit; hac cõditione, vt præfectos, Niari Paulum, Terskium, Colleranum Italum, fabricenſem, & iuniorem Kinskium obſides in commutationem aliorum captiuorum traderent. His ita pactis 13. Octob. circa meridiẽ duo millia munitione Agriẽſi exierunt: ſed nõ longè progreſſi in latiſſimo quodã campo à Tartaris & Turcis occiſi ſunt: quidam viui excoriati, aliquibus virilia abſciſſa, exprobrabant etiam illis Turcæ, dicebantq; ſe fidem ipſis ſeruare non debere, cùm antea tã crudeliter ſuos Hatuæ tractâſſent. Quatuor prædictos tribunos captiuos in tentorium Sultani abduxerunt. Pleriſque Turcis hæc ſuorum perfidia plurimnm diſplicebat, Haſſanq; Baſſam & Ianitzerorum Agam apud Sultanum huius criminis grauiter accuſarunt, indignum facinus dicentes, Chriſtianis datam fidem

Agria deditur.

non ſeruari, cùm longè aliter ſecum Strigo-nij actum eſſet: metuēdum nunc, quòd in po-ſterum ſimilem perfidiam ipſi quoque expe-rientur. Sultanus audita hac expoſtulatione Ianitzarorum Agam ad ſe vocari, & in fru-ſta concîdi iuſſit. Deinde publico edicto mandauit, vt ſi quis Chriſtianos captiuos ha beret, eos ſtatim dimitteret.

Zigethenſis Baſſa tentat Bobotſcam.

Dum hæc ad Agriam fiunt, Baſſa Zigethen ſis cum ſex millibus armatorum Bobotſcam tentauit. Sed cùm intellexiſſet Comitem Se-reinium cū incolis Styriȩ, & D. Budiano in itinere eſſe, vt eam obſidionē interrumpant, cumq́; paulo ante 4. ſcilicet Octobr. in qua-dam pugna 700. pedites, & multos præclaros equites amiſiſſet, re infecta reuerſus eſt; Be-ramo Aga, fortiſſimo omnium, qui Zigethi erant milite, lethaliter vulnerato. Per eoſ-dem dies Comarenſes & Strigonienſes ma-gnas prædas conuexerunt: Michael autem Vveida Vngarus, qui à Cȩſare 300. equitibus erat præfectus, alijs etiā multis ſubditis im-perabat, & vicarius Altenburgo præerat, Turcis hanc vrbem tradidiſſet: quam ob cau ſam captus, & Viennam adductus eſt.

Diximus antea Archiducem Maximilia-num, Palfium, Teufenbachium, & Tranſylua num, collectis omnibus copijs, ad liberan-dam obſidione Agriam profectos. Sed eam profectionem (prô dolor) nimis tardā fuiſ-ſe; ideoque Agriam amiſſam. Cauſa huius tarditatis fuit non tantùm Auſtriacorum &

Vngari-

Vngaricorum militum procraſtinatio; ſed aliarum etiam multarũ rerum defectus con-tinui etiam imbres, qui impediebant, ne tormenta celerius attrahi potuerunt. Quo effectum, vt dum torméta expectantur, 14. diebus vix 12. milliaria conficere exercitus potuerit. Tandem 17. Octobris Archidux cum decem millibus communium equitum, Italicis, Vveſtphalicisq́; equitibus mille, octo millibus peditum, & magno tormentorum numero Caſchouiam venit, atque Tranſyluano ſe iunxit. Poſtridie ad Teuſenbachium & Palfium profecti, ex omnibus exercitibus vnum conflârunt, in quo triginta duo millia expeditiſſimorum equitum & viginti octo millia peditum fuerunt, qui centum viginti tormenta bellica ſecum trahebant, viginti etiam millia quadrigarum ſequebantur, quæ ſingulis diebus ſub veſperem in orbem redacti totum ſuo ambitu exercitũ includebant. Viceſimo primo die optimo ordine exercitus promotus eſt, eo conſilio, vt ſtataria pugna de ſumma rei cum hoſte decertaret, ad quam omnes milites erant animis promptiſſimi, Poſtridie ericetum duobus milliaribus longum, latum verò quatuor emenſi, Agriam rectà contenderunt. At traijciendus erat fluuius, cuius traiectum Giaffer Baſſa cum viginti millibus Ianitzarorum & Tatarorum, 30. etiam tormentis occupârat: reliquus exercitus in quodam campo, non procul Agria ſito, ſubſiſtebat.

Baſſæ

Baſſæ conſilium erat traiectum hunc amplificare, deinde totũ exercitum eò deducere. Erat enim locus magni momenti ob multitudinem fontium, & puteorum: ſed fefellit Baſſam hoc eius propoſitum. Octobris enim 23. die Chriſtianorum exercitus diuerſis locis Baſſam aggreditur: exercitus verò frõs eo ipſo loco, de quo dicebamus, hoſtem inuadit. Hîc Teufenbachius cum exiguis Italorum, quos in caſtris habebat, equitibus leuibus præliis cum hoſte certare cœpit, & aliquot tormenta in denſiores Turcarum cuneos immiſit. Qui ſtatim amiſſis trecentis militibus, viginti tormentis, & duobus ſignis prætorianis locum deſeruerunt, & in fugam verſi, magno ſuo bono noctis caligine tecti, noſtrorum manus euaſerunt. Ex Chriſtianis quindecim tantùm deſiderati ſunt, pauciores vulnerati, in quibus Dithmarus à Coninxsberg equitum magiſter non leue vulnus accepit. Etſi Tranſyluani, Huſſari & Haiducci eodem veſperi fluuiũ traiecerint, noctis tamen obruentis tenebris fugientes hoſtes inſequi non potuerunt. Hoc modo loco iſto potiti ſunt. Sed cùm anguſtior eſſet, quàm vt totum exercitũ caperet, frigus etiam intẽſiſsimũ corpora premeret, & maxima eo in loco lignorum eſſet penuria, exercitum aliò tranſportare decreuerunt. Sub id quidam ex hoſtiũ caſtris ad noſtra profugit, nuncians Sultanũ cum exercitu appropinquare, vt Chriſtianos ex improuiſo obrueret.

Prima Chriſtianorum ad Kareſtam victoria.

eret.

ĕret. Mutauit hic nunciusChriſtianorũ conſiliũ, & ad locum vñde exierãt reuerſi, currus ita exercitum circumduxerunt, vt quaſi vrbs ligneis cincta muris videretur. Poſtridie, qui erat 24. Octob. hoſtis cum vniuerſo exercitu circa veſperũ in conſpectu noſtrorum ſtetit, & iter loci, cuius hactenus toties mentio facta eſt, tranſire conatus eſt. Archidux & Trãſyluanus, quia pręcedẽti victoria incitati, amore pugnæ flagrabãt, decreuerũt decem circiter Tatarorum millibus tranſitum concedendum: deinde eos trucidandos eſſe. At Sultanus tria tantũ millia præmiſit, reliquos in inſidijs eſſe iuſſit. Hic noſtri mox in Tataros aliquot machinas bellicas excuſſerunt, quibus multos ſtrauerunt, reliquos in effuſam fugam verterunt. Deinde ſinguli ad ſuas ſtationes reuerſi ſunt.

Secunda victoria.

Erat vterque exercitus numeroſus & potens, latè ſeſe extendens, ſpectaculum iucundiſſimum. Vterque ex eodem flumine & beſtijs & hominibus potũ petebat: ideoque ſingulis noctibus ad traiectum memoratum vterq; excubias agebat. Poſtridie Sultanus denuò cum totis viribus, mane inter ſextam & ſeptimam horam in conſpectu Chriſtianorũ venit, aciebus longè lateq; extenſis, ita vt oẽm eam regionem complecti videretur, & ſecũdò millia aliquot trans fluuium miſit. Cum his noſtri à matutino tempore in ſerũ veſperũ velitârunt, & vtrinque, potiſsimum equites, ſe mutuò fatigârunt: tandem tamen

Tertia victoria.

Turcæ à noſtris fuſi, & trans fluuium iterum reiecti ſunt: multis vtrinque deſideratis. Hic Ditmarus à Coninxſberg, cuius antea facta eſt mentio, maiori tormẽto ictus occubuit. Vicarius Bauarorum Fronſpergerus ſclopeto à Ianitzaro in crure vulneratur. Præfectus autem Tockaij in humero vulnus accepit. Chriſtiani toto illo die vſque ad partam victoriam mira conſtantia in ſuis ordinibus perſtiterunt. Interea decreuerunt ſummam rei prælio committendam eſſe, edictumque per caſtra poſtridie, ſummo mane ſinguli ad pugnam parati adeſſent. Sexto itaque & 20. Octobris Sultanus ſuos iterum caſtris, quę non procul à noſtris aberãt, eduxit, fluuioque appropinquauit. Stabat hoc loco collapſum quoddam templum; hîc aliquot cẽtena Ianitzarorum in inſidijs collocauit, & 24. tormenta diſpoſuit: decem autem millia lectiſſimorum militum fluuiũ traijcere mandauit. Noſtri tempus iam opor tunum eſſe rati, ſuos quoque eduxerunt, & partem exercitus in primam Turcarum aciem tanto cum impetu immiſerunt, vt non tantùm eam, ſed & Tataros, qui alio loco tranſierant, diſperſerint: imò qui in altera fluminis erant ripa fugauerint, plurimos occiderint, centũ nouem tormenta campeſtria hoſti ademerint, omnes qui in ſua caſtra irrumpere conarentur, fortiter repulerint, & canum inſtar trucidârint. Hinc tantus in hoſtium caſtris pauor exortus eſt, vt ipſe

Tertia Chriſtianorum victoria.

Sul-

Sultanus cum Ibraimi Baſſa effuſa fuga ſeſe Agriam receperit. Imminebat iam veſper, eratque conſilium Archiducis milites in caſtra reducendos, nec vlterius quicquam eo die tentandum. Contra Tranſyluanus, Palfius & Vngari omnes, in tanto metu victoriam proſequendam eſſe ſuaſerunt, & tandem eò facilius Archiduci perſuaſerunt, quòd hoſtes denuò coire, & acies inſtruere viderentur. Quare noſtri inſtructis ordinibus denuò in priorem aciem, quæ quadraginta millibus conſtabat, tanta vi irruerũt, vt cæſis quibuſuis obuijs, dimidia vix pars euaſerit. Inde vniuerſum exercitum aggreſſi, felicitate ſimili fuderunt, fugâruntque. Supplicio capitis iam antea cautum erat, ne quis miles relicto ordine ad prædam conuolaret. Contempto hoc mãdato, dum Chriſtiani hoſtes inſequuntur, vnà cum ipſis in caſtra prorumpunt, multos in tentorijs occidunt, & aurum, argentum, aliaque omnia pretioſiora, deſertis ordinibus, neglectoq; officio, cum magno tumultu diripere cœperũt: donec ad ipſius Sultani tentorium peruentum eſſet. Hic natum eſt omne infortunium; inuenerunt enim hoc loco præſidiũ quoddam Sultani, & multa tormenta catenis ferreis connexa. Hæc præſidiarij iſti in Chriſtianos direxerunt, excuſſerunt, & multos diſcerpſerunt. *Turpiſſima Chriſtianorum victoria.*

Interea cum equitatu ſuo accurrit Cicala Baſſa,

Baſſa, & Chriſtianos à latere inuadit. Hîc repentinus terror Chriſtianos inuadit, adeò vt ſeſe in turpiſsimam fugam præcipites dederint, Germani potiſſimùm & Vngari, cum magna ſuæ nationis infamia, & irreparabili Chriſtianitatis vniuerſæ damno. Nullis induci aut precibus, aut minis potuerũt, vt ſe ſiſterent, recolligerent, & aliquam ſaltem animi fortitudinem exhiberent. Hoc modo ea victoria manibus Chriſtianorum elapſa eſt, qua non habuiſſent à ſeculo nobiliorem. Tanta potuit paucorum equitum auaritia, qui domi leones, in bello cerui, in præda lupi eſſe perhibentur. Non autem ſibi ipſis, ſed & aliis ad pugnandum paratis interitum attulerunt: dum enim equis ferocientibus fugiunt, nec è fuga reuocari poſſunt, peditum ordines turbârũt, & multos equorum vngulis protriuerunt. Inter eos qui ceciderunt, primarij fuêre Vvenceſlaus Poppelius, Piettipeskius Tribuni militum: duo iuniores Duces Holſatiæ: è Vveſtphalicis & Italicis leuis armaturæ equitibus præfecti omnes, è Saxonicis, Pomeraniæ & Brãdenburgenſis equitum Magiſter, & quadraginta circiter nobiles; è Franconico circulo Bambergenſis equitum Magiſter, & ſignifer, vnà cum ſigno: è legione Sueuica Eyteleck à Reyſchach ſummus vicarius Ramſchwagius, & centurio Breitſchweertzius; è Bauaricis ipſe ſummus ductor Plettenbergius: ex aliis legionibus plerique Centuriones, Signi-

Chriſtiani in hac pugna cæſi.

Signiferi, & alij præfecti. Ex equitatu pauci præter iam dictos deſiderati ſunt. Etſi hoſtis eos ad primum vix lapidem inſequeretur, tantus tamen terror fugientes inuaſit, vt nemine eos fugante, per campos diffugerint maiori cũ ignominia, quàm damno. Archidux rebus iam omnibus deploratis Caſchouiam, Tranſyluanus Togalum ſe recepit. Bernſteinius relictis omnibus tormentis, & apparatu bellico, etiam ſeſe in tutum contulit. Cùm neque Palfius, neque reliqui Vngari in caſtris manere vellẽt, Germani etiã conuaſatis omnibus diſceſſerunt. Nec minor (dictu mirabile eſt) trepidatio Turcarũ quàm Chriſtianorum fuit: nocte enim inſequente pretioſiora quædam conſarcinantes, relictis caſtris & tentoriis, & ipſi diffugerunt. Compertumque eſt poſtea, toto triduo tormenta, impedimenta, tentoriaque Turcarũ nullo cuſtode in agris, caſtriſque relicta, à noſtris (ſi vires recollegiſſent) facilè diripi potuiſſe. Immatura itaque fuga tam celebrem victoriam noſtrorũ manibus excuſſit. Varia huic narrationi è transfugarum, captiuorumque relationibus, confeſſionibusque aſſuuntur. Nos hiſtoriã ipſam nudè, vt ab Archiduce ad Cæſarem perſcripta eſt, tibi lector donamus. Perierunt in hoc prœlio, & præcedentibus Agriæ oppugnationibus è Chriſtianis viginti millia, è Turcis circiter ſexaginta millia, inter quos veterani milites multi, Baſſæ & Begi non *Numerus cæſorum.*

pauci. Quòd ſi Turcas tantus nõ corripuiſſet metus,ſed fortiter Chriſtianos fugiẽtes inſecuti fuiſſent,nullo eos negotio internecione delere potuiſſent. Turcæ parta victoria Erlauiam, ſeu Agriam decem milliũ prę ſidio munierunt. Sultanus Belgradum reuerſus exercitum in hyberna deduxit. Palfius Strigonium reuerſurus in itinere oẽs arces & munitiones limitaneas maioribus præſidiis, omniq́ue apparatu & commeatu bellico inſtruxit. Diſperſi etiam milites ſuperioris Vngariæ denuò coire cœperunt: ſed inermes ferè omnes: vt qui in fuga arma abiecerant, ideoq; ad omnem expeditionem inutiles. Currus etiam Germanorum, quibus illi in bello arma, prædamq́ue vehere ſolebant, ab Vngaris ſpoliati ſunt, quod domini ſeruorum infidelitati adſcripſere: vt qui præciſis loris, relictisq́ue curribus cum equis ſeſe in tutum receperant. Vltimo Octobris Tranſyluanus cum ſuis Principibus & conſiliariis incolumis Tſcanatum appulit: deſideratis è ſuis ſolummodò ducentis: inter quos nullus è nobilitate repertus eſt. Affirmat autem Princeps ſolam Germanicorum equitum trepidationem huius infortunij cauſam extitiſſe.

Reditus Sigiſmundi in Tranſyluaniam.

Baſſa Budenſis ſibi perſuadens poſt tantas Chriſtianorum clades eos hoc anno vires recolligere non poſſe, aut in apertum prodituros eſſe, quarto Nouembris, cũ omnibus, quas colligere potuit,copiis, VVaitzam obſedit.

Baſſa Budẽſis Vuaitzam fruſtra obſidet.

ſedit. Sed cùm ij, qui in præſidio erant, fortiter ſe defenderent, & tribus eruptionibus plurimos hoſtes occiderent, Baſſa de oppidi expugnatione cœpit deſperare, cũctantiuſque agere. Tãdem fama in caſtris increbuit, Chriſtianorum aliquot millia cõueniſſe, & in itinere eſſe, vt obſeſſis ſuppetias veniant. Qua fama territus Baſſa, ſtatim obſidionem ſoluit, & Budam reuerſus eſt. In quo itinere multi Turcę, qui pabulatum excurrebant, in ſyluis & viis anguſtioribus ab agricolis occiſi ſunt. Quo tempore tres mulieres, quæ in vtriſq; caſtris verſatæ, Turcis quid apud nos ageretur referre conſueuerant, ſuffocatæ ſunt. Mahumetes Sultanus exiſtimans expugnatione Agrienſi, & prælio Kereſtenſi honori ſuo ſatisfactum, amiſſis optimis ſuis militibus, Ianitzaris, Spachioglanis, & Sylarchis, quos Conſtantinopoli ſecũ adduxerat, diuiſit exercitum: partemq; in hyberna miſit, cum reliquis ſine tympanis, tubis, explicatis vexillis, vlloue lętitiæ aut triumphi ſigno tacitus Conſtãtinopolim profectus eſt. Proficiſcẽtibus inſidiabãtur Trãſyluani & Valachi. Barbelius .n. Ianuſchius, Tranſyluanicæ militiæ Dux, & Vaiuoda Valachicus cũ inſigni equitatu & peditatu in ſummo ſilentio Danubiũ traiecerunt, & exercitus Turcici tergum ita carpſerunt, vt 7000. trucidauerint. Porrò cùm quidam Bulgarię Principes fœdus cum Tranſyluano inierant, vlterius in Bulgariam contenderunt.

Sultanus Cõſtantinopolim redit.

Turcæ cæduntur.

Viceſimo quarto Nouembris Archidux Maximilianus cum ſex ciſijs Viennam appulit: vbi Burgauiæ Vicecomitem, Schvvartzenburgium,& alios nonnullos ex præfectis inuenit. Chriſtiani omnes munitiones Agriæ vicinas incenderunt, diruerunt,& reliquerunt. Turcæ magna contentione Erlauiam, ſeu Agriam reſtaurârunt. Interim vbique famæ datum eſt, Sultanum in conflictu Kereſtenſi cæſum: eum nuſquã aut viuum aut mortuum reperiri. Qui eius colloquium petebant,in obſcuriſsimum conclaue duci, ibi cum Baſſa quodam,qui Sultanum ſe mentiebatur,colloqui,&c. Hic infelix Chriſtianorum fuit annus, de cuius felicitate initio multi multa vaticinabantur, quaſi hoc anno imperium Othomannicum finem eſſet habiturum. Quod reliquum erat anni deprædationibus,rapinis,incendijs & latrocinijs vtrinque conſumptum eſt.

MVNDI

MVNDI FVRIOSI LIBER TERTIVS:

Continens ea, quæ ab initio anni M.D.XCVII. *vſque ad Autumnum anni eiuſdem vbiq; terrarum geſta ſunt.*

IN Belgio, vt iam ſæpe compertum eſt, Caluiniani nullius alterius Religionis manifeſtum exercitium, quàm ſuum ferebant: quod autem in occulto fieret, non adeò ſtrictè inquirebatur hactenus. At nunc etiam in occultos cœtus inquirere cœperunt. Ineunte enim anno hoc Amſtelredamenſes conuentum Lutheranorum turbârunt, concionatorem cuſtodiæ tradiderunt. Eodem tempore ex Hollandia & Zelandia multæ naues bellicę ad mare infeſtandum, & naues Hiſpanicas diripiendas, Hiſpaniam verſus velificârũt. Cumque ſub Angliam veniſſent, à contrarijs ventis retrò, vnde venerant, reiectę ſunt. Confœderatorum etiam Belgicorum equites & pedites, qui præda propemodum ſola viuunt, in Monaſterienſem diocœſim excurrentes, octo pagos ſpoliârunt, omnia agentes, ferenteſque. In Autumno anni præteriti quidam Scotus proditionis accuſatus in Hagam Comitis captus mittebatur;

dicebatur enim Veram Zelandiæ oppidum Cardinali traditurus fuiſſe. Quod factum etſi conſtanter negaret, tamen confeſſus tandem gladio menſe hoc Ianuario feritur, & in quatuor partes diſſecatur. Per eoſdem dies præſidiarij Dourlantij & Caleti tumultuari cœperunt: ſed paulo poſt accepta pecunia pacantur.

Albertus Archidux Auſtriç, & Cardinalis ſub finem anni præcedentis quatuor millia peditum, & quinque alas equitum in Campiniam, ſeu Taxandriã miſerat, eo conſilio, vt incolas à tributis, quæ hoſtibus dependere cogebantur, liberaret, vel, vt alij volunt, vt fluminibus glacie conſtrictis, paratas haberet copias, ad expeditionem aliquam, quam animo concepiſſe dicebatur. Sed quia hyems erat mitis, nec frigus, vel aura Cardinalis voto reſponderet, cœpit milites iſtos loci illius, vitæque tam miſeræ tædere. Conſumptum enim iam erat quidquid apud colonos antea inueniebatur, & in tanto pecuniæ defectu, noui nihil aliunde aduehebatur. Hollandi horum omnium non ignari, Mauritio belli duci in mandatis dederunt, vt coactis aliquot copiis in Campiniam contenderet, aleamque fortunæ experiretur. Paruit ille, & ſummo cum ſilentio, incredibiliq; celeritate quinque millia peditum, & octingentos equites corraſit, ac ſecundo & viceſimo die Ianuarij Dordracum primò, deinde cùm ſex tormentis

Prælium Turnhoutanum.

mentis

mentis campeſtribus, & duobus aliis tormentis maioribus naues conſcendit, atque viceſimo tertio in Campiniam nauigauit: vbi eum Gubernator Vliſsingenſis cum copiis Zelandicis expectabat. Interea Comes ab Hohenlo octodecim turmas equitum collegerat, ceteriſque peditibus ſeſe iunxit. Ita communi conſilio ſub veſperem ad Fanum S. Bauonis contenderunt. Regij aduentûs hoſtium certiores facti, ea nocte omnia conuaſârunt, omnia impedimenta præmiſerunt: ipſi ſummo mane inſtructis ordinibus inſecuti ſunt. Quòd cùm intellexiſſent Mauritius & Holachius, relictis à tergo peditibus, magna illos celeritate ſequuntur. Holachius per compendium eos anteuertit, & à fronte adortus, eos ſiſtit. Pugnatur acriter, cadunt vtrinque multi, & ſe quiſque virum exhibet. Dum pugna hæc ad horam circiter dimidiam protrahitur, Mauritius cũ ſuo equitatu aduolat; redintegratur prælium, & quidem acrius quàm antea pugnatur. Sed numero equitum inferiores Regij, dum vim non poſſent diutius ſuſtinere, in fugam ſeſe equites, relictis peditibus, effuderunt. Pedites cùm loco iniquo pugnarẽt, cùm hoſtium viribus impares eſſent, relictis ordinibus & ipſi fugere cœperunt, cùm multos prius è ſuis amiſiſſent. Mauritius & Holachius fugientes inſecuti, plurimos trucidârunt, multos captiuos fecerunt, & plena victoria potiti ſunt.

Ceciderunt in hac pugna è Regiis (vt Francus refert) bis mille quadraginta, vt Aitzingerus bis mille; vt alii pauciores: decepti enim hi ſunt fama victoriam hanc amplificante. Vidimus enim litteras diuerſas, quæ quingentos circiter & ſeptuaginta periiſſe referunt: quod etiam à nobilibus duobus, qui huic pugnæ interfuerant, confirmari ipſe audiui. In his primarii fuerunt Comes Vvaraſſius, dictus Dom. de Balanzon, qui nuper importunis ſuis precibus, licet parum idoneus, legioni peditum erat præfectus: Vicarius legionis Neapolitanæ, cui præerat Marchio Treuicenſis, quæ & maximam præ ceteris cladem accepit. Vicarius Comitis à Zultz Germanus, Vicarius Dacicourtii. Quarum legionum Chiliarchæ omnes aberant, & alibi in delitiis agebant, milite eſuriente, ſitiente, & hoſtium periculo expoſito. Quod ſi Regii pugnam tam diu continuâſſent, quàm pedites hoſtium accedere potuiſſent, pauci prælio ſuperfüiſſent. Capta ſunt multa ſigna, quæ in fuga abiecta fuerant, & Bredæ in ſignum triumphi circumlata ſunt. Quod addunt de duorum menſium ſtipendijs apud Regios inuentis, & ab hoſtibus interceptis, ab aduerſa parte negatur, & à ſcriptoribus parum conſideratè ponitur. Aiunt enim Regios inopia pecuniæ magnoperè laboraſſe, quod credibile non eſt, ſi prouiſio duorũ menſium in caſtris fuerit: quam diu otioſam in ſcriniis ia-

cere famelicus miles minimè paſſus eſſet. Prçterea ſcribunt impedimenta omnia curribus impoſita Regios præmiſiſſe, quæ omnia in tutum conuecta ſunt: ſed quis credet eos tam incõſideratos fuiſſe, vt impedimentorum, quorum multa nullius pretij ſunt, curam habuiſſe, pecuniæ verò non habuiſſe? Sed quid hæc ad nos? gaudeant qui eam acceperunt, & pro caſeo & butyro, quod ad nauſeam comedunt, nunc epulis lautioribus indulgeant. Commiſſa eſt pugna hæc dimidio à pago Turnhoutio milliari, in ericeto Tiletano. Poſtridie arcem Turnhoutiam obſederunt, & quatuor tormentis verberârunt. Qui in eam confugerant, cùm vidiſſent ſe tueri non poſſe (eſt enim locus ad voluptatem, non ad vim conſtructus) ſeſe hoſtium fidei dediderunt. Sexto & viceſimo Mauritius & ſocii victores cum captiuis & vulneratis Bredam reuerſi, & magno populi applauſu excepti, poſtridie Montes S. Geertrudis, inde 28. Ianuarii in Hagam Comitis appulerunt. Hac parta victoria tota deinceps hyeme, vere, & æſtate Mauritius ſuos quietos, magna hominum cum admiratione, detinuit: omnium enim erat opinio, eum in tanta pecuniæ & militum inopia, qua Cardinalis laborabat, multum efficere potuiſſe: niſi fortè & ipſe eodem morbo laborauerit. Accepta hac clade Albertus ſtatim in Ducatum Luxenburgenſem miſit, qui nouum peditatum, & Eduardum

Ceciderunt in hac pugna è Regiis (vt Francus refert) bis mille quadraginta, vt Aitzingerus bis mille, vt alii pauciores: decepti enim hi ſunt fama victoriam hanc amplificante. Vidimus enim litteras diuerſas, quæ quingentos circiter & ſeptuaginta periiſſe referunt: quod etiam à nobilibus duobus, qui huic pugnæ interfuerant, confirmari ipſe audiui. In his primarii fuerunt Comes Vvaraſſius, dictus Dom. de Balanzon, qui nuper importunis ſuis precibus, licet parum idoneus, legioni peditum erat præfectus: Vicarius legionis Neapolitanæ, cui præerat Marchio Treuicenſis, quæ & maximam præ ceteris cladem accepit. Vicarius Comitis à Zultz Germanus, Vicarius Dacicourtii. Quarum legionum Chiliarchæ omnes aberant, & alibi in delitiis agebant, milite eſuriente, ſitiente, & hoſtium periculo expoſito. Quod ſi Regii pugnam tam diu continuâſſent, quàm pedites hoſtium accedere potuiſſent, pauci prælio ſuperfuiſſent. Capta ſunt multa ſigna, quæ in fuga abiecta fuerant, & Bredæ in ſignum triumphi circumlata ſunt. Quod addunt de duorum menſium ſtipendijs apud Regios inuentis, & ab hoſtibus interceptis, ab aduerſa parte negatur, & à ſcriptoribus parum conſideratè ponitur. Aiunt enim Regios inopia pecuniæ magnoperè laboraſſe, quod credibile non eſt, ſi prouiſio duorũ menſium in caſtris fuerit; quam diu otioſam in ſcriniis ia-

cere famelicus miles minimè paſſus eſſet. Prçterea ſcribunt impedimenta omnia curribus impoſita Regios præmiſiſſe, quæ omnia in tutum conuecta ſunt: ſed quis credet eos tam incōſideratos fuiſſe, vt impedimentorum, quorum multa nullius pretij ſunt, curam habuiſſe, pecuniæ verò non habuiſſe? Sed quid hæc ad nos: gaudeant qui eam acceperunt, & pro caſeo & butyro, quod ad nauſeam comedunt, nunc epulis lautioribus indulgeant. Commiſſa eſt pugna hæc dimidio à pago Turnhoutio milliari, in ericeto Tiletano. Poſtridie arcem Turnhoutiam obſederunt, & quatuor tormentis verbêrârunt. Qui in eam confugerant, cùm vidiſſent ſe tueri non poſſe (eſt enim locus ad voluptatem, non ad vim conſtructus) ſeſe hoſtium fidei dediderunt. Sexto & viceſimo Mauritius & ſocii victores cum captiuis & vulneratis Bredam reuerſi, & magno populi applauſu excepti, poſtridie Montes S. Geertrudis, inde 28. Ianuarii in Hagam Comitis appulerunt. Hac parta victoria tota deinceps hyeme, vere, & æſtate Mauritius ſuos quietos, magna hominum cum admiratione, detinuit: omnium enim erat opinio, eum in tanta pecuniæ & militum inopia, qua Cardinalis laborabat, multum efficere potuiſſe: niſi fortè & ipſe eodem morbo laborauerit. Accepta hac clade Albertus ſtatim in Ducatum Luxenburgenſem miſit, qui nouum peditatum, & Eduardum

Fortunatum Marchionem Badenſem in Germaniam, qui nouum equitatum conſcriberet, amandauit. Interea Dunkercani mare ſuis piraticis nauibus infeſtum habebant. Idem faciebant Hiſpani, qui in Blaveto erant, incredibiles theſauros è præda conuehentes.

Menſe Februario quingentæ & octoginta naues è portibus Hollandiæ & Zelandiæ egreſſæ, in omnes mundi plagas velificârunt. In conſpectu Vliſſingenſium duæ maximę naues vento vehementiori in ſe mutuo impactæ, vna ducentarum (vt loquuntur) laſtarum, quæ Liburnum cogitabat, depreſſa ſubſedit.

Comitia in Haga Comitis.

Fama erat ex iſtarum nauium vectigalibus bis centena florenorum millia in Fœderatorum ærarium illata eſſe. Per eoſdem dies Comitia in Haga Comitis habita ſunt, in quibus deliberatum, quo tempore exercitus in apertum eſſet educendus. Decretum vt quingenti equites, & quædam peditum ſigna conſcriberentur. Tandem Hollandi & Zelandi ſuam de vectigalibus ſeu licentiis, vt appellant, controuerſiam propoſuerunt; ſed lis decidi non potuit. Quam ob rem naues Hollandorum denuò Middelburgi detinentur.

Etſi Cardinalis ſingulis penè horis à belli præfectis ſolicitaretur, qui oportunè, importunè pecuniam poſtulabant, Hiſpanos

tamen

tamen ne quidem vnquam hæc cura tangebat: ſed Bruxellis in omni voluptate viuebant: nihil de faſtu ſuo remittentes; ſed in communi patriæ luctu, ſoli quaſi tripudiantes, ne dicam Belgis procaciter illudentes. Tandem decimo ſexto Februarii Bruxellis in publico foro varia ludorum genera, equorum decurſiones & haſtiludia incredibili ſumptu, pompaq; inſtituerunt, prudentioribus iſta cum gemitu & lachrymis aſpicientibus.

Tertio Februarii Galliarum Rex Lutetiam venerat, ſed cùm ei nunciatum eſſet, Hiſpanos Picardiam inuaſiſſe, ſeſe ad expeditionem præparauit. Exercitus eius ſeſe longè lateque ad Sequani ripam explicauerat: erant enim in eo decem millia peditum, & octo equitum. Partem huius exercitûs præmiſit, quæ Ardam per inſidias tentare decreuerat: ſed priuſquam oppido appropinquaſſent Galli, tanta fuit aquarum illuuies, vt ad oppidum aditus non pateret. Cameraco etiam eodem tempore inſidiabantur, & ad foſſas vrbis penetrârant: ſéd luna eorum conatus detexit, vt re infecta diſcedere compellerentur. Caleti etiam trepidabatur, eò quòd præſidium peſtis graſſantis ſæuitia vehementer fuerit imminutum, Sed iſti malo Cardinalis remedium inuenit.

Hollandi etiam & fœderati, cũ difficulter

conco-

concoquere poſſent, amiſſo Hulſto tantum ſibi bolum ereptum, denuò eidem oppido inſidias ſtruxerunt. Sciebant enim illud militibus & commeatu non ſatis inſtructum. Coactis itaq; aliquot ſuorum militum millibus, iisque nauibus impoſitis, clam ad aggerem oppido vicinum appulſi, ex improuiſo totis viribus oppidum inuadere machinati ſunt. At oppidani huius rei certiores facti, in armis ad mœnia & portas excubârunt; venienteſque ita exceperunt, vt re infecta vix ſalui ad naues redire potuerint. In Hollandiam reuerſi, & perſuaſi, in multis præſidiis vrbium Cardinalē ſuæ factionis homines habere, auro Hiſpanico corruptos, omnia præſidia alterârunt. Interea Cardinalis iterū inter Thenas & Louanium exercitum colligere cœpit, ad quem ſub finem Februarij ſex millia peditum, & quædam equitum centuriæ confluxerunt. Ad hunc exercitum alendum ciuitas Antuerpienſis, Gandauenſis, & aliæ magnam pecuniæ vim contulerunt, eò quod ex Hiſpania nulla pecunia mitteretur. Tres ad Rhenum naues in vſum Regis Hiſpaniarum conſtruebantur, longæ, latæ & craſſæ, quales nunquā iis in oris antea viſæ ſunt: vna Confluentiæ, altera Coloniæ, tertia ſub propugnaculo Camilli ædificabatur. Earum vſus futurus eſt (vt quidam volunt) ad pontem in Rheno conſtruendum; vt alij, ad munitionem aliquam expugnandam. Faſces etiam ingen-

Hollandi Hulſto fruſtra inſidiantur.

Cardinalis militē cogit.

tes

tes trabium inter ſe compactarum ad latitudinem ſexaginta & ſeptuaginta pedum fiebant, qui à lateribus nauium fluitantes, hoſtilium nauium acceſſum prohiberent. Præſidium etiã Berckenſe nullas naues Rhenũ deſcendere permittebat, niſi publicæ fidei litteras à Cardinale haberent, quæ difficulter impetrari potuerunt.

Vrbis Ambianenſis occupatio.

Decimo die Martij, Archidux Albertus Dorlantium duo millia peditum, & duodecim equitum centurias miſit, ex omni natione fortiſsimos, & ad præclaram expeditionem aptiſsimos; qui ſub Hernando Tello, Dourlantij Gubernatore, ducerentur. Is hac ratione expeditionem ſibi demandatam exorſus eſt. Nocte, quę inter decimum & vndecimum diem intererat, Dourlantio deceſſit, & cum copijs ſuis militaribus Ambianũ verſus contendit, ac mane in ipſo diei Martis crepuſculo, cùm Ambiani nundinę ſunt, in certum locum, cui à D. Magdalena nomẽ eſt, peruenit: qui locus quadrante milliaris vnius ab vrbe diſſitus eſt. Hic agmen conſidere iuſſit, & omnia inſtituit, prout expedire, & negotium requirere ſibi videbatur; ſingulos ſui officij admonens. Deinde octodecim, aut nouendecim ex omnibus copijs elegit, tam gregarios milites, quàm centuriones, vicarios & ſigniferos: inter hos vnus erat ordinum inſtructor Hiſpanus, duo centuriones Itali, reliqui VValones, quorũ fidelitati & fortitudini plurimũ cõfidebat.

Hos

Hos ruſtico habitu veſtiri, & ſub ijs veſtibus ſclopetis & pugionibus armari iuſſit. Deinde in tres claſſes diſtribuit. Ordinum ſtructorem (vulgo Sergeãt) cum ſeptem præmiſit, vt currum fœno oneratum in vrbem inducerent, vſque dum currus ſub cataracta portæ conſiſteret, ne demitti poſſent eius trabes. Deinde mandauit Ordinum ductori Antonio, Vicario vnius equitum centuriæ, cui præerat Daniel, vt præcedentes aliquo interuallo, cum quatuor alijs ſequeretur: & cæſis excubijs portam occuparet. Illis mox alios ſex aut ſeptem ſubmiſit, quibus mandatum & minorem quandam vigiliam, quæ trabem tranſuerſam, extra portam cuſtodiret, cæderent. His ita conſtitutis Gubernator trecentos circiter milites in ſacello quodam leproſorum occultauit. Diſtabat illud à porta ſclopeti iactu, vt tanto plures in promptu eſſent, qui currus prædicti conductoribus ſuccurrerent. Qui inter octauam & nonam horam ad portam cum curru venerunt, hoc prætextu, quòd venirent vti agricolæ, ad vendendum fœnum, poma & ſimilia; & viciſſim ſal aliaque neceſſaria emenda. Cumque auriga, qui erat miles ſub forma ruſtici, natus ex Arteſiæ pago Beaufortio, & ſub ſigno Thoricourtij militans, cum curru in portam veniſſet, eumque ſub cataracta poſuiſſet; atque alius, cui iniunctum vt pileo ſuo ſignum daret (erat vnus ex ſeptem prioribus) detracto capiti pileo

pileo ſignum dediſſet, omnes in excubitores ruunt, eo animo, vt aut victores euaderent, aut ſimul omnes occumberent. In hoc inopinato tumultu omnes, qui portæ curam habebant, occiſi ſunt. Ciues qui iuxta portam habitabant, hac turba exciti, arreptis armis accurrunt, ignari quid rerum ageretur. Cùm autem hoſtes portam occupare intelligerent, maxima cõtentione eos repellere conati ſunt, & demiſſa cataracta impedire voluerunt, ne plures in vrbem penetrarent. Sed irritus erat omnis ille labor, adeò vt diuino quodam miraculo vna è trabibus fuerit diſſoluta; quæ cùm è pluribus partibus conſtaret, in fornice immota pependerit, nec demitti potuerit; ita vt trecenti illi, qui in Hierocomio in inſidiis latitabant, paulatim in vrbem irreperent, ceteris opem ferentes: erant autem ſclopetarii omnes. Tanta autem fortitudine & alacritate multitudini ciuium reſtiterunt, vt interim etiam cataractam attollere cœperint: ita vt iam pluribus intrandi via pateret. Aduolant deinde equites & reliquus & exercitus ductore Harnando Tello, & Daniele, qui pugnando ad forum, ſeu planiciem, quæ formoſa Crux dicitur, penetrauerunt, vbi frumentum vænum exponitur: ibique in vnum globum coierunt. Equites autem per omnes plateas diſcurrentes, impedierunt ne ciues conuenire poſſent. Ita demum *Ambianum capitur.*

Hiſpani

Hiſpani portas omnes,ipſamque vrbem occupârunt. Perierunt in hac expeditione e ciuibus ſex aut ſeptem & viginti,duo ex Cardinalitiis,& tres vulnerati. Comes S. Pauli, cum aliqua parte nobilitatis fugiens Rhotomagum peruenit. Inuenta ſunt in vrbe quadraginta tormenta bellica, ingens copia pulueris tormentarij, globorum maximus numerus,aliuſque belli apparatus, Regis Hiſpaniarum exercitui vtilis: quorum omnium potiorem partem Angliæ Regina miſerat, ad nouas expeditiones, quas Rex Galliarum hac æſtate meditabatur. Sub finem Martii Galli quoq; non procul à Charlemontio & Fumaio cæſi ſunt. Interim Galli non otiabantur, ſed Atrebatum per inſidias occupare conati ſunt; nec multum abfuit,quin conſilio euentus fuiſſet ſubſecutus. Portam enim totam, ſola cataracta excepta,ſuæ fecerant poteſtatis: & cataractam iam ſecuribus comminuere cœperunt. At ciues tanta cum animi fortitudine ſeſe defenderunt,& attractis tormentis tantã globorum multitudinem in hoſtiũ cuneos immiſerunt,vt portam iterũ deſerere, & ſuos ab vrbe abducere coacti fuerint. Inuenta ſunt tantùm quatuordecim in porta cæſorum cadauera:ſed in itinere plurimi fame perierunt. Erant ſex millia peditum, homines fruges conſumere nati,famelici,nudi & omnium rerum indigi: equites verò mille quingenti, qui omnes Ioſedo (nunc Cor-

Galli Atrebatum tentant.

beilium

beilium vocant) profecti, totum diem ac noctem ieiuni in itinere conſumpſerant, & in reditu tantundem temporis ſpatium erat inſumendum. Nullus eos ſequebatur commeatus, in pagis autem paucos homines, nullam annonam inuenerunt: ita vt plurimi fame defecerint, & ſemineces à ruſticis occiſi ſint. In reditu pagos nonnullos exuſſerũt.

Ineunte hoc anno M D X C V I I. ipſo Epiphaniæ feſto Rex Galliarũ nouos Ordinis S. Spiritus Equites magna cũ ſolénitate creauit. Deinde exercitum nouis ſupplementis auxit, cui Dux Bullonius cum aliquot equitum & peditum millibus acceſſit. Maſſilienſes etiam ſeſe piraticis nauibus inſtruxerunt, & in Hiſpanos eduxerunt. Rhotomagi (vt quidam ſcribit) hoc menſe Ianuario filiola baptizata eſt, quam è ſacro fonte leuauit Dux Mænius: & quia parentes illius ignorantur, ſuſpicio eſt, Regis ipſius hanc filiam eſſe, è formoſa Gabriele ſuſcitatam.

Rex Galliarum nouos equites creat.

Poſt induciarum inter Regem & Ducem Mercurium pactarum exitum, belli conſilia denuò repetita ſunt. Dux enim cùm voti apud Regem compos fieri non poſſet, nouum pactum cum Hiſpano iniit: acceptaque non exigua pecuniæ ſumma nouos ductores creauit, nouumque exercitum conſcribi iuſſit. Illius conatibus ſtatim obiecti ſunt Comes ſtabilis, & Momorantius: qui cum magna exercitûs parte in Britanniam miſſi, nihil præclari præſtiterunt. Eodem tempore in

Pactum Mercurij Ducis cum Rege Hiſpano.

Normandiam quinque Anglorum millia ap-
pulſa ſunt, à Regina Regi ad bellum cum
Hiſpano continuandum miſſa: Dum hi ap-
pellunt, Rex in portu, cui Hable Grace no-
men, nuptijs Villerſij intererat, qui formoſæ
Gabrielis ſororem duxerat. Interea Domi-
nus Schonbergius ad Ducem Mercurium
mittitur, vt pacem, ſi quo modo poſſet, con-
ficiat. Sed quia cõditiones propoſitæ vtriq;
parti iniquæ videbantur, re infecta Schon-
bergius reuerſus eſt. Fama etiam per hos
dies vbique vulgata eſt, Mercurium filiam
ſuam in Hiſpaniam miſiſſe, vt ſit apud Re-
gem ſingularis ſuæ fidei pignus, & perpetua
obſes fœderis: ipſe autem legatus cum vica-
ria poteſtate in Britannia à Rege Hiſpania-
rum conſtitutus eſt. Cum autem Rex Gal-
liarum iam omnem pacis ſpem præciſam
cerneret (Patroni enim Britanniæ titulum
retinere, filiam ſuam Principi Condæo, v-
nico Regni ſucceſſori deſpondere, & vicies
centena aureorum millia, in compenſatio-
nem expenſarum biennio a ſe factarum po-
ſtulabat) eum publicum coronæ Regni Frã-
cici hoſtem proclamari iuſſit. Per eoſdem
dies Galli Baionenſes Fontinebleu dolo in-
tercipere conati ſunt: ſed detecto eorum
conſilio, omnis in irritum conatus recidit.
Menſe Nouembri anni præcedentis Tauri-
no ſcripſere quidam Regem Hiſpaniarum
genero ſuo Sabaudo interdixiſſe, ne quos le-
gatos in Galliam ad pacem cum Rege con-
firmari.

firmandam mitteret, priuſquam Marchionatu Saluſienſi Rex illi integrè cederet. At Sabaudus neglecto Regis mandato, nobilem quendã ad Petrum Medicæum, & Principem Auriam miſit, eos orans, vt curam pacis in ſe ſuſciperent, & poſtea ad Regem ſocerum referrent. Cùm autem Ladiguerius, in loco Corſi nuper Delphinatûs Gubernator creatus, Pariſijs Parlamento importunè inſtaret, ne qua pax Sabaudo concederetur, legatus Sabaudi, qui Rhotomagi apud Regẽ agebat, ſtabilem pacem à Rege impetrare non potuit. Poſt multas tandem moleſtias prolongationem induciarũ ad Calendas vſque Februarias obtinuit. Cùm autem clientes & ſubditi Ducis Sabaudiæ pacem vehementer vrgerent, eamque Momoratzius, vt vtilem & neceſſariam Regi perſuadere conaretur (ea enim conſtituta bellum facilius in Ducem Mercurium, & Archiducem Albertum geri poſſe) quæ induciæ vſque ad dimidium menſis Aprilis factæ ſunt. Interea ſpes erat perpetuam pacem ſubſecuturam; quam vt promoueret Sabaudi vxor ad Regem Galliarum profecta eſt, licet nonnulli eam non propter pacem, ſed propter matrimonium quoddã veniſſe crederent. Sabaudus, ne ſi pax minus proſperè ſuccederet, imparatus à Rege obrueretur, tres militum tribunos in Heluetiam cum pecunia miſit, qui ſeptuaginta quinque ſigna peditum colligerent. *Induciæ cũ Sabaudo.*

Normandiam quinque Anglorum millia appulſa ſunt, à Regina Regi ad bellum cum Hiſpano continuandum miſſa: Dum hi appellunt, Rex in portu, cui Hable Grace nomen, nuptijs Villerſij intererat, qui formoſę Gabrielis ſororem duxerat. Interea Dominus Schonbergius ad Ducem Mercurium mittitur, vt pacem, ſi quo modo poſſit, conficiat. Sed quia cõditiones propoſitæ vtrique parti iniquæ videbantur, re infecta Schonbergius reuerſus eſt. Fama etiam per illos dies vbique vulgauit, Mercurium filiam ſuam in Hiſpaniam miſiſſe, vt ſit apud Regem ſingularis ſuæ fidei pignus & perpetui obſes fœderis: ipſe autem legatus cum vicaria poteſtate in Britannia à Rege Hiſpaniarum conſtitutus eſt. Cùm autem Rex Galliarum iam omnem pacis ſpem præciſam cerneret (Patroni enim Britanniæ titulum retinere, filiam ſuam Principi Condæo, vnico Regni ſucceſſori deſponderi, & vicies centena aureorum millia, in compenſationem expenſarum biennio à ſe factarum, poſtulabat) eum publicum coronæ Regni Francici hoſtem proclamari iuſſit. Per eoſdem dies Galli Baionenſes Fontinebleu dolo intercipere conati ſunt: ſed detecto eorum conſilio, omnis in irritum conatus recidit. Menſe Nouembri anni præcedentis Taurino ſcripsère quidam Regem Hiſpaniarum genero ſuo Sabaudo interdixiſſe, ne quos legatos in Galliam ad pacem cum Rege confirmãn-

firmandam mitteret, priuſquam Marchionatu Saluſienſi Rex illi integrè cederet. At Sabaudus neglecto Regis mandato, nobilem quendã ad Petrum Medicæum, & Principem Auriam miſit, eos orans, vt curam pacis in ſe ſuſciperent, & poſtea ad Regem ſocerum referrent. Cùm autem Ladiguerius, in loco Corſi nuper Delphinatûs Gubernator creatus, Pariſijs Parlamento importunè inſtaret, ne qua pax Sabaudo concederetur, legatus Sabaudi, qui Rhotomagi apud Regẽ agebat ſtabilem pacem à Rege impetrare non potuit. Poſt multas tandem moleſtias prolongationem induciarũ ad Calendas vſque Februarias obtinuit. Cùm autem clientes & ſubditi Ducis Sabaudiæ pacem vehementer vrgerent, eamque Momoratius, vt vtilem & neceſſariam Regi perſuadere conaretur (ea enim conſtituta bellum facilius in Ducem Mercurium, & Archiducem Albertum geri poſſe) quæ induciæ vſque ad dimidium menſis Aprilis factæ ſunt. Interea ſperauerat perpetuam pacem ſubſecuturam; quam vt promoueret Sabaudi vxor ad Regem Galliarum profecta eſt, licet nonnulli eam non propter pacem, ſed propter matrimonium quoddã veniſſe crederent. Sabaudus, ne ſi pax minus proſperè ſuccederet, imparatus a Rege obrueretur, tres militum tribunos in Heluetiam cum pecunia miſit, qui ſeptuaginta quinque ſigna peditum colligerent.

Induciæ cũ Sabaudo.

Regis animum ſolicitabat plurimum Ambiani interceptio. Erat enim hęc vrbs ampla, populoſa, opulenta & munita, loco ad gerendum contra Hiſpanum bellum maximè oportuno ſita. Quamobrem ibi armamentarium inſtrui, & belli ſedem conſtitui decreuerat. Ea nunc omnis ſpes cóciderat. Sed & alias expeditiones, quas meditabatur, hoc infortunium inutiles reddidit: omnes enim vires ſuas in ea vrbe recuperanda hac æſtate conſumēdas non obſcuris indicijs & ſignis intelligebat, cùm arcem munitiſſimam in ea hoſtis exſtrueret, quæ amiſſa vrbe facillimè poſſet defendi. Omnes nihilominus vires erant explicandæ, vt hæc ciuitas recuperaretur. Auctis itaque exercitibus, & delectu habito, tandem Ambianum ſub finem Aprilis obſidetur, & iam in quartum menſem obſidio protrahitur, cuius quis tandem erit euentus, vel à nobis, vel ab alijs ſuo loco & tempore explicabitur.

Eruptio Ambianenſium in caſtra Regis.

Interim cùm iam Galliarũ Rex in tertium menſem obſidionem Ambianenſem protraheret, idque ingenti ſumptu, & exiguo fructu, obſeſſi nihil de ſua fortitudine remittentes, 17. Iulij in caſtra Regis erumpentes tale facinus perpetrarunt, quale à ducentis annis commiſſum non eſſe aſſerunt. Sexcentos enim haſtatos milites, & ducentos, qui clypeis & gladiis vtebãtur, cum exiguo eorum numero, qui ſecuribus Amazoniis pugnabant, ſine vllis ſclopetariis, tanta cum rabie

rabie & furore in caſtra inimicorum immiſerunt, vt hoſtes nihil tale opinantes, antequam arma expedire poſſent, omnes quos inuenerunt, trucidauerint. Deinde in ſtationem Regis & Anglorum impetu facto, ducenta & quadraginta vaſa pulueris ſulfurei, iniecto igne incenderunt, & in fumos ac vapores redegerunt. Quo peracto in vrbem ſe receperunt, tanta cum dexteritate, vt ne vnum è ſuis amiſerint: ex hoſtibus verò plurimi deſiderati ſunt. Conuentum autem erat inter eos, qui in vrbe erant, & hos, qui expeditionem hanc facerent, vt refugientibus in vrbem, & hoſtibus eos inſequentibus, oppidani ſubmitterent ſex tormenta globis ſclopetariis, lapidibus & clauis onerata. Dum igitur Ambianenſes fugam in vrbem ſimulabant, & hoſtes eos furore magis, quàm conſilio moti perſequerentur, bifariam ſe diuidunt, & qui ex vrbe venerant, torméta in denſiſsimos hoſtium cuneos excuſſerunt, ingentemque ſtragem ediderunt. Quo facto Ambianenſes pedetentim, nemine eos perſequente, ſeſe in vrbem receperunt. Etſi de numero cęſorum nondum certi quid ad nos allatum ſit, certum tamen eſt, quatuor Chiliarchas (Colonellos vocant) & quindecim centuriones cæſos eſſe. Conſtans etiam fama eſt, filium Ducis Mœnij in loco pugnæ mortuum inuentum: fratrem quoque Mariſchalli Bironij, & alios Principes, & nobiles multos hac pugna obiiſſe.

Remburius initio inter mortuos habitus, ſed poſtea compertum eum grauiter ſauciatum: ſed adhuc viuere. Ne autem tam illuſtrium virorum corpora coruis prædæ eſſent Rex miſit octingentos circiter pedites, qui cadauera in diem ſequentem cuſtodirent. At oppidani nocte iterum erumpentes, totam iſtam cuſtodiam trucidarunt. Dominica die ſequente Rex adhuc ita æſtuans, quòd tantam nobilitatem, tam leui prælio amiſiſſet, in animum induxit ſuum, cum totis viribus, ſcalis ad hoc præparatis, vrbem inuadere iuxta portam S. Mauritij, vbi ruinam iam antea ad oppugnationem ſtrauerat. Sed vrbis Gubernator cum ex diei præcedentis præparationibus Regis conſilium intellexiſſet, omnem adhibuit diligentiam, vt ruina illa commodè defenderetur. Iuſſit itaque Aumalius octodecim tormenta in iſtum locum transportari, quorum ſex ab vno latere ruinæ, ſex ab alio diſpoſuit: ſex denique ex oppoſito itineri, quo ad vrbem accedendum erat. Veſperi circa decimam horam Galli venerunt ad vrbem, & ſcalas ruinæ admouerunt: quod oppidani, quaſi non vidiſſent, diſſimularunt; quamuis eorum conatus facilè animaduerterent. Ceterum cùm omnia præparata eſſent, eo ordine quo inſtitutum ſuum ſe perficere poſſe ſperabant, & iam plerique ſcalas aſcendiſſent, oppidani ſuis fiſtulis ludere cœperunt,

runt, & exploſis tormentis ab omni parte diſpoſitis ſcalas multas diſiecerunt, ordineſque omnes interturbârunt. Alij, qui nondum ad ruinam acceſſerant, videntes oppidanos tanta cum rabie & furore in ſuos ſæuire, ſubſtiterunt, nec propius accedere auſi ſunt: qui autem ſcalas aſcendere voluerunt, vel iam aſcenderant, citius è ſummo gradu ad infimum deſcenderunt, quàm intermedios numerare potuerũt. Hæc clades non minor fuit ea, quam ante triduum Galli acceperant. Quod ſi oppidani ſeptem aut octo millia armatorum in ea trepidatione in caſtra emiſiſſent, Gallos caſtris exuiſſent, fudiſſent, fugaſſe itque. Et certè omnes relictis caſtris, tormentis & impedimentis etiamnum fugiſſent, niſi eos Regis authoritas continuiſſet.

Angliæ Regina fœdus cum Gallo & Belgis anno præcedenti renouarat, ipſumque Galliarum Regem in Garetteriorum Equitum Ordinem, ligata ad dexterum crus faſcia, cooptârat. Quod quibus ceremoniis actum ſit, ab aliis relatum inuenio. Omnibus peractis cùm Legatus reditum in Angliam parat, eidem Regi Reginæ ſuæ nomine tunicam donauit, multis margaritis & gemmis rutilantem, centum aureorum millibus æſtimatam.

Erat hoc tempore in Anglia rerum omnium maxima caritas, & exigua erat ſpes for-

Regina claſ-ſem inſtruit.

tunæ melioris. Regina ne populus fame & inedia maceratus murmuraret, ac tandē tumultuaretur, claſſem denuò inſtruxit; quā in æſtate in Hiſpaniam mitteret. Hiſpanica enim claſſis nuper infortunio & tempeſtate maris, & nautarum imperitia triginta circiter nauibus diminuta, & conquaſſata, in Corona ſtabat quaſi neglecta, & paucis adiunctis, qui eam defenderent, claſſiariis. Hanc facilè incendi poſſe exiſtimabant Angli, eoque conſilio munitiſſimam claſſem nauium, fortitudine quàm numero maiorem inſtruxerunt. Habebat eadem Regina ſuum perpetuum in Ianuis Othomannicis legatum, qui à latere Sultani vix vnquam diſcedebat. Vt autem Regina Sultani animum ſibi magis

Angliæ dona ad Turcã miſſa.

deuinciret, duo aurea incredibili arte & induſtria elaborata horologia per legatum ſuum Sultano donauit, quorum vnum figuram triremis habuiſſe dicitur, horarum ſigna dans: alterum omnium planetarum motus, cum maxima hominum admiratione oſtendit. Menſe Februario legatus quidam ex Hollandia in Angliam appulit, auxilia militum, & pecuniæ flagitans. Mox numerus ædium omnium in tabulas redactus eſt, & niſi ſuſpicio fallar, ſingulis tributum imperabitur, vt neceſſaria ad claſſem, & bellum Belgicum pecunia confletur. Solum Londinum triginta librarum Sterlinarum millia, ad hanc ſummam certis conditionibus contulit. Claſſe Anglicana iam

parata,

parata, ingens militum numerus per eam diſtributa eſt,commeatuq́ue & rebus neceſſariis omnibus importatis, initio Iulij portu enauigauit, Hiſpaniamq́ue petens, ventos habuit contrarios & procelloſos: ita vt dum hæc ſcribimus diſiecta in varios Angliæ portus rediiſſe dicatur.

Quinto Ianuarij in Collegio Cardinalium Romæ de bello Turcico agi cœpit: in quo conſeſſu ſex millia peditum, & mille equites hoc anno decreti ſunt: quibus aut Mantuanus, aut Vrbinus imperaret. Cùm autem ad aures Pontificis veniſſet, multos Italos in Germaniam ſe titulo mercaturæ exercendæ conferre, ibiq; cum hæreticis conuerſari, ab iis infici, & tandem in hæreſin prolabi: huic malo Pontifex remedium inuenit, ſtatuitq́ue: Ne quis Catholicus cuiuſcunque ſit conditionis, aut nationis, vxorē ſibi accipiat hęreticam: aut mulier maritum hæreticum, ſub pœna excommunicationis Papalis. 2. Ne quis vir aut mulier Catholica ſuſceptorem aut ſuſceptricem in baptiſmo ſumat non Catholicam. 3. Ne quis vir Catholicus ſuſceptor ſit pueri, qui in Catholica Eccleſia non baptizatur, nec mulier ſuſceptrix ſimilis creaturæ. 4. Nulli Catholico licitum ſit poſthac Italia diſcedere, & in regiones hęreticorum migrare, niſi prius habita licentia ſui in Eccleſiaſticis ſuperioris. 5. Vt omnes Itali, qui in Germania nunc habitant, vt minimum ſemel in anno confiteantur,

teantur, omnibus feſtis interſint Miſſę ſacrificio, & ſingulis annis fidei ſuæ profeſſionē in patriam ſuam, ſiue ea ciuitas ſit, ſiue pagus, tranſmittant, ſub pœna eiuſdem excommunicationis & aliarum executionum grauiſſimarum. 6. Nulli Catholico Italo poteſtas erit habitandi in aliqua ciuitate, caſtro aut pago, vbi non eſt Eccleſia Catholica, eiuſque exercitium liberum. Qui ſecus fecerit, eandem excommunicationem incurret, omniaque bona, quæ in Italia reperiuntur, amittet, eorumque etiam, qui non obedierint, ſtatuæ publicè exurentur. Hæc decreta 12. Ianuarij Pragæ populo è ſuggeſtu prælecta ſunt.

Legatio Turcarum contra Vſcochos.

Per eoſdem dies Zauſius quidam Turcicus Venetias venit, qui à Senatu petiit poteſtatem ædificandæ munitionis aduerſus iniurias Vſcochorum: Mercatores enim Turcicos nuper in duabus nauibus centum ſexaginta millia aureorum amiſiſſe. Non latebat Vſcochos has querelas ad Senatum deferendas: quare & ipſi legatum Venetias miſerant.

Reſponſio Vſcochorum.

Qui cùm in Senatum veniſſet, Vſcochos, ait, ſemper Reip. Venetæ amicos extitiſſe. Quod annis præteritis Turcicas naues, vbicunque deprehēdere potuerint, in mari Adriatico oppugnauerint, ceperint, diripuerint, id iure belli à ſe factū: nec quenquam improbare poſſe. Cùm enim domus Auſtriacæ ſint ſubditi, æquum eſſe, vt eiuſdem domûs hoſtibus, quamcunque poſſint cladem

cladem inferant, eos lædant, & vbiq; proſequantur.

Secundo Febru. qui dies erat Dominicus, Pontifex ipſe ſacrum celebrauit, in quo Comitijs Germanicis felicem euentũ precatus eſt. Inde tota Põtificis familia ſacrã Euchariſtiam ſumpſit. Tandem in ſacellũ conceſſum, vbi Cardinalis quidam ſacrum ſolenne cantauit. Poſtridie ſexta circiter hora matutina Franciſcus Aldobrãdinus in Germaniam profecturus, Florentiæ cum tribunis militũ Italiæ collocutus eſt: cum eis deliberans, quæ & quanta ſubſidia Cæſari eſſent mittenda. Inde rectà Pragam ſe conferens, comitiis Germanicis, vt intereſſet, tempori aduenit: quibus finitis Põtifex decerneret, quanta prioribus auxilia addere poſſet, velletque. Venetijs, aliisq; Italiæ locis mercatores quidam foro cedere cœperunt. E Sicilia nuper immenſa quantitas panis bis cocti in Hiſpanias illata eſt, in vſum claſsis, quæ in Hiſpaniis inſtruitur.

Aldobrandinus in Germaniam proficiſcitur.

Initio huius anni legatus Hibernicus in Hiſpanias ad Regem venit, à quo perbenignè exceptus eſt: exiſtimant eius legationis ſummam eſſe, vt ſuppetias flagitet. Claſſiarij, qui adhuc in claſſe erant, ea educti, per Galiciam diſtributi ſunt, vt in vrbibus & pagis corpora, maris iactatione cõcuſſa, nõnihil reficerentur. Hiſpani memores cladis anno ſuperiore ab Anglis acceptæ, & hoc anno ſimilẽ, aut maiorem metuẽtes, ſingula

Legatus Hibernicus in Hiſpan.

Regna

Regna habitis Comitiis, communibus ſuffragiis Regi ſuo inæſtimabilẽ pecuniæ ſummam ad bellum cum Angla continuandum ſponte decreuerunt. Paulò poſt tota Hiſpania delectus habentur, innumerabiles ad claſſicũ homines conueniunt, omnes fabri, omnes mercenarij, baiuli, ruſtici, & quicquid arma ferre potuit, militiæ adſcribuntur, adeo vt vix operarij hoc anno in Hiſpania reperiri potuerint. Dux militiæ Comes Fontanus creatus eſt: ſummum imperium Philippus III. Princeps Hiſpaniarum ſibi committi poſtulabat: ſed neque Regi id conſultum videbatur, neque Ordines patriæ id permittere voluerunt. Luſitanis vero Rex ſexaginta ducatorum millia donauit, vt loca maritima aut nondum hactenus munita, aut vetuſtate collapſa reſtaurarent, ne a claſſe Anglicana detrimentum aliquod acciperent. Petrus Medicæus, cuius iam aliquoties facta eſt mentio, in Hiſpanias veniens, in grauiſſimum, periculoſiſſimumque morbũ incidit. Qui vbi conualuit, Madritum profectus Principem inuiſit, à quo, vti & a Rege ipſo, benignè exceptus, & duodecim coronatorum millibus donatus eſt. Quidam mercatores Luſitani cùm ſe certã pecuniam Cardinali Alberto in Belgio numeraturos receperant, nec id, cùm fides eorum laboraret, præſtare poſſent, menſe Martio in Hiſpania carceribus incluſi ſunt.

De controuerſia Regis Hiſpaniarum cum merca-

mercatoribus dictum eſt antea. Variè hoc in negotio laboratumeſt, vt vtrique parti ſatisfieret. Tandem Rex edicto publico decreuit, vt omnium mercatorum libri inſpicerentur,& omnium contractuũ cum Rege ratio iniretur, vt detractis iniquis vſuris, cetera quæ deberentur ipſis redderentur. Cùm autem inquiſitio librorum facta eſſet, quorundam vſuræ tam iniquæ repertæ ſunt, vt iã non Rex ipſis, ſed ipſi mercatores Regi debere compertum ſit. Prolongata itaq; eſt cauſæ definitio de die in diem, & hinc multa nata ſunt inconuenientia. Hinc bellum Belgicum ſuſpẽſum, dum mercatores nulli Archiduci pecuniam volunt numerare. In hoc enim omnis eorum ſpes erat poſita: Regem ſine ſua opera bellum continuare non poſſe. Sua autem opera vti deinceps nõ poſſe, niſi prius debita iam facta reſtituat: proinde Regem velit nolit nomina ſoluere debere. Præterea hinc natum, vt in diuerſis regionibus multi fidem fefellerint, & foro ceſſerint. Hinc natum, vt quidam cùm omnia ſua penè dilapidaſſent, & ingentem vim pecuniæ priuatis perſonis deberent,honeſto Regis titulo piraticas (ſub prætextu negotiationis)naues inſtruxerunt,eas omnibus mercium generibus fide ſua, ſed aliorũ ſumptibus onerârint,&cum grauiſsimo ære alieno diſcedentes, ſcelerati homines effecti ſint. Nôrint Middelburgenſes quid velim dicere. His malis vt occurreretur varij

Negotium Regis cum mercatoribus.

centati

tentati ſunt modi, quos hic referre, cùm res effectum conſecuta non ſit, quid iuuat? Adhuc enim dum hæc ſcribimus inter ſpem metumque hærent mercatores.

Viceſimo octauo Ianuarii Caluiniani Coloniæ iterum in occulta quadam congregatione concionem habuerunt. At Senatus re patefacta cætum iſtum turbauit: domino domus, in qua conuenerant, in carcerem detruſo, ædes obſerauit. Videbat enim Senatus quotidie iſtarum concionum & congregationum fructum. Viceſimo ſexto Ianuarii Cæſar nocte ſubitò ægrotare cœpit, eratque magnus in aula luctus: fiebant pro eo publicæ & priuatæ preces, donec paucas poſt ſeptimanas iterum conualuit. Per totam Germaniam litteræ, nuncijq; mittebantur, quibus Principibus & Circulis præcipiebatur, vt auxilia decreta contra Turcam mittenda tempori in promptu ſint, ne ab hoſte præueniantur. Electores ipſi & tempus & diribitorium ſibi reſeruari voluerunt, vt negotiũ maiori zelo & minori auaritia geratur.

Cæſar ægrotat.

Menſe Ianuario cõuentus Ordinum Bohemiæ habitus eſt, in quo Cæſar petijt, vt Regnicolæ quingentos equites, & mille quingentos pedites ſuis ſumptibus in futuro bello Turcico alant: Vt tributa, quæ nondum ſoluta ſunt, colligantur, & militibus ſatiſfiat: Vt præter prædictum equitum & peditum numerum, etiam ſex millia peditum, & duo millia equitum ad cõmune bellum (vrſ

Conuentus Bohemicus.

& anno

& anno præcedēti fecerant) mittant, & octo menſibus alant. Admittit Cæſar, vt Ordines ſuum habeant ærarii præfectum, qui poſtea acceptorum, expenſorumque rationem tam Cæſari, quàm Ordinibus reddet. Vt Ordines Regni Boêmiæ, ceterarumq; prouinciarum, Regno ſubiectarum, inter ſeſe in omnem euentum deliberent, quomodo alicui prouinciæ periclitanti, etiam Archiducatui Auſtriæ ſuccurrendum ſit. Vt Ordines Boëmiæ, ceterarum prouinciarū delegatos permoueant, vt ſumptus in reſtaurandis arcibus limitaneis factos, & nondum perſolutos, dependant, & præter iſtos ſumptus, expenſarum in reparatione Strigonii, Comaræ, Kocheræ, & Vvaitzæ: Sileſii autem in reſtauratione Fileci, Sendræ, Ouadæ, & Derſebati factarum, faciendarumq; partem in ſe ſuſcipiant. Vt ſuperioris & inferioris Saxoniæ, item Franconiæ auxilia in propriis ſuis finibus colligantur, ſecundùm Comitiorū Ratisbonenſium decretum: collecta verò in Vngariam ducantur. Quia magno equitum numero ad tormenta, apparatumq; omnem bellicum trahenda opus ſit, petit Cæſar, vt Ordines Boêmiæ certam ad eos alendos pecuniæ ſummam decernant. Cùm anno præcedenti compertum ſit, cunicularios, & foſſores antequam opus aliquod incepiſſent, pleroſque fugiſſe, monet Cæſar Boêmos & Morauos, vt huic malo tempeſtiuè remedium inueniant. Petit denique, vt rationem

nem certam conſtituant, ne commeatus hominibus aut equis deſit: omnem commeatũ in ripam vſque Danubij conuehant, vel ſi malint, ipſi ſuo equitatui & peditatui tantùm neceſſaria ſuppeditent. Hæ propoſitiones poſtea in deliberationem Ordinum venerunt. Quid autem conceſſum, quid negatũ ſit, ad nos nondum peruenit.

Tranſyluanus Pragã venit.

Decimo ſeptimo Februarij Tranſyluaniæ Princeps Sigiſmundus cum ciſijs quadraginta Pragam venit. Cumque aliquandiu in aula commoratus eſſet, & multa conſilia occulta cum Cæſare, eiuſque conſiliariis agitaſſet, ſexto Martii in conclaui Senatus Imperialis Pragæ, multis cum cerimoniis, in ſolenni actu aureum vellus à Cæſare Regis Hiſpaniarum beneficio accepit. Finito ſacro Princeps Nunciũ Apoſtolicum, aliorumq; Principum Oratores ad conuiuium inuitauit, & poſtridie mane ſummo diſceſſit. Cui antea Cæſar horologium artificioſiſſimum, cui ſimile nunquam viſum, annulum cum adamante pyramidali, multis aureorum millibus æſtimatum, & ſex generoſiſſimos eiuſdem coloris equos, regale ciſium trahere doctos, donauerat: ſex etiam millia equitum & peditum ante finem Maij ſe in Tranſyluaniam miſſurum promiſerat.

Aureum vellus accipit.

Quarto Martij Eduardus Fortunatus, Badenſis Marchio, Coloniam venit, cum poteſtate 300. equites & legionem peditum pro Cardinale Alberto conſcribendi. Redierant

dierant ex Vngaria paulò ante quædã ſigna Eburonum, ſeu Leodienſium: quos idem Marchio nouo ſacramento ſibi deuinxit. Cùm autem pecunia à Cardinale non mitteretur, in quoſdam pagos terræ Coloniẽſis diuiſi, colonis magna incommoda intulerunt. Decimo quarto Martij Marchio cum vxore Bruxellas, 60. tantùm equitibus comitatus proficiſcitur: reliquas copias in Eyflia poſt ſe reliquit. Elector Colonienſis Arnsbergæ per illos dies agebat, Grosbekium in comitatu habens, quamobrem rumor diditus eſt, eum equites & pedites colligere, & pernicioſum quid, patriæque noxium cogitare.

Menſe Aprili, Legatio Hiſpanica Hamburgum venit. Obibant eam Illuſtris Comes Barlaymontius, VVeſtendorpius, & Clariſſimus vir Ioannes Niekerkius: qui cùm poſt aliquot dies mandata ſua, quæ à Rege ad Senatum habebant, expoſuiſſent, & magnificè à Senatu excepti eſſent, in Daniam ad Regẽ, quò legatio præcipuè deſtinata erat, profecti ſunt. Regem Fredericiburgi inuenerunt, à quo magnificentiſsimè excepti, cauſam ei totius legationis expoſuerunt. Quæ poſtea in concilio Regis diligenter ponderata, poſtquam æquiſsima inuenta eſſent, legati cum optima ſpe, & promiſſione omnibus Regem ſatisfacturum, quæ poſtulabantur, dimiſſi, Ordenburgum, inde Lubecam reuerſi ſunt: cuius vrbis Senatui Regis etiã *Legatio Regis Hiſpan. ad Regem Daniæ.*

K peti-

petitiones declarârunt,ac tandem,cùm alios Imperij Principes conueniſſent, Bruxellas redierunt.

Stralesundæ ſanguinem pluit.

Magnum hoc loco prodigium referam, prima quidem facie incredibile, tamen veriſſimum. Nocte ſextam & decimam diem Iunij præcedente, Stralesundæ,quę vrbs Pomeraniæ eſt, Academia celebris, in quibuſdā hortis, ante Franconum portā arbores, herbæ, frondes, & gramina ſanguine reſperſa ſunt: vti & quibuſdam locis,quæ gramine tecta non erant,terram ſanguine rubuiſſe compertum eſt. Ex quo ſpectaculo nihil aliud colligi potuit, quàm ea nocte ſanguinem pluiſſe. Nam & piſcatores in fluminibus & ſtagnis ſimilem ſanguinē in ſuis ſcaphis inuenerunt. Quin & ijdem piſcatores retibus ſuis lapides è fundo extraxerunt, ſanguine reſperſos. Præterea in lineo quodam panno,ea nocte in horto, vt candeſceret, expoſito, multæ ſanguinis guttæ viſæ ſunt: quas cùm mulier eluere vellet, guttę in cruces mutatæ ſunt: quæ quò magis lotæ, eò manifeſtiores factæ ſunt. Hæc à tota ciuium multitudine conſpecta, pannus hic Senatui & concionatoribus viſus,cruces attrectatæ & probatæ ſunt.

Spectrum.

Quarto poſt die ciuis quidam Stralesundenſis, Ioannes Germerus nomine, in pagū quendam vicinum mittitur, vt libros nobili cuidam adferret. Huic in itinere occurrit ſpectrum cuiuſdam ſenis, cana barba & capillis,

pillis, duorum hominum proceritate, ſolo induſio tectus, cetera nudus: facies eius, vt Sol ſplendida, amictus vt nix candidus, corpus ſubfuſcum. Germerus hoc ſpectro territus, cùm paululum ſubſtitiſſet, reſumpto animo perrexit, ſpectrumq́; ſalutauit. Quod cùm nil reſpondiſſet, homo magis territus, ſignaculo crucis ſeſe muniuit. Tum ſpectrũ ſtentoris voce: Noli, ait, timere, non ſum is propter quem te ſignaſti. Magis adhuc conſternatus homo, cùm animum reuocaſſet, cum ſpectro procedit. Spectrum enim illi ad dexteram proximè ſeſe iunxit. Dum pergunt, incipit ſpectrum: Siſte, inquit, gradum. Quò tendis? reſpondit homo, in Althagen ad Siuerdum Dateubergerum nobilem, vt ei hos tradam libros. Cumq́ue multa alia interrogaſſet, tandem ait; Omnia hæc ſciebam. Ceterùm domum reuerſus accede Senatum Straleſundenſem, & præcipe illis, vt ab impia ſua conuerſatione, & ethnica vita, à iuramentis, execrationibus, periuriis, blaſphemiis, & iis rebus, quas recens inuexerunt, ſeſe abſtineât. Quod ſi non fecerint, dices ciuitatem 10. Auguſti, D. Laurentio ſacro in cineres eſſe redigendam. Cui homo; Auertat hoc Deus. Subitò tantus eum metus corripuit, vt obſtupuiſſe videretur. Ad ſe reuerſus, rogatur à ſpectro: Meminiſſétne verborum præcedentium: Cui homo, Meminiſſe quorundam, non omnium. Hîc ſpectrũ ſingula cũ repetiiſſet, pręcepit homini

vt hæc ad Senatum referret: qui ſeſe excuſans, ait, hoc nuncium ſe in vrbem referre non poſſe, niſi ab omnibus velit rideri, & ludibrio haberi. Ad hæc ſpectrum: imò, inquit, hæc dices, niſi nomen tuum è cælo expungi velis. Niſi enim dixeris, nec filius Dei eris, nec Regnum cælorum poſſidebis: ſed nec in hoc ſeculo felicitas vlla tibi erit, & breui morieris. Miſit me Deus ad te, electum ad nuncium hoc perferendum. Ideoq́ue nihil eorum quæ dixi reticebis, ſi animę tuæ ſalutem dilexeris. Hoc dicto ſpectrum euanuit. Germerus varia fortuna negotiū ſibi commiſſum peregit, & in ciuitatem reuerſus, tam Senatui, quàm Eccleſiaſticis viſa, auditaq; omnia, cum magno horrore & tremore narrauit.

Aliæ prodigioſæ pluuiæ

Tertio Iulij denuò Stralesundę ſanguinē, & pridie ſulfur pluit, vti & paucos ante dies in tectum templi B. Virginis ignem copioſum è cælo cecidiſſe vidit Paulus Mētzius Eccleſiaſtes, & multi alij. Prodigioſas has pluuias, & ſpectaculū Germeri veriſſimum eſſe, Conradus Scluſſelburgius, eiuſdem vrbis Straleſundenſis Superintendens, Eccleſiaſtes, S. Theologiæ Doctor & Profeſſor ſuo teſtimonio comprobat, & confirmat. Ad bellum ruſticum in Auſtria veniamus, quod profectò plurimum communi cauſę contra Turcam incommodauit.

Bellum ruſticū in Auſt.

Belli huius initia libro pręcedenti à nobis commemorata ſunt. Ruſticos ſuperio-

ris & inferioris Aniſi in armis eſſe auditum eſt antea: Acceſſêre ad hos rebelles, qui ſyluam Viennenſem accolunt, & montem Manhardi: qui coniuncti tres arces Pergſtalliũ, Rogendorfium & Spyetz, nobilium Tropp, Ferdinandi ab Hois, & Kuſteineri dominia occupârunt. Si ipſis hoc impunè liceat, maiora tentabunt. Quia verò deputatis Cæſaris obedire noluerunt, neceſſariò recenſeri debuêre Auſtriæ nuper conſcripti milites, & in rebelles, poſtquam adhuc ſemel admoniti fuerint, immitti. Ruſtici interea in ſex ſigna, ſeu claſſes ſeſe diuiſerunt, multoſque concionatores ſuæ factionis in caſtra vocârunt. Steyr oppidum, Lintzio vicinum ſe ipſorum poteſtati tradidit, & rebellibus quædam torméta bellica ſuppeditauit. Abbatem quendam vicinum per ſex deputatos interpellârunt, commeatum pro iuſto pretio ab illo petentes, at ille negauit, & deputatos capitali ſupplicio affecit. Ruſtici Abbatiam expugnantes, & Abbatem captiuum facientes, poſt varia ludibria è muris Monaſterij ſuſpenderunt, omneſque eius monachos cum illo. Qui cùm vitã deprecaretur, & magnam pecuniæ ſummam offerret, audiit: Et deputatis vitam fuiſſe charã, quam tamen ipſe abſtulerat. Inde Lintzium profecti, à ciuibus quoque tormenta quædam impetrârunt. Creſcebat numerus ſeditioſorum quotidie, quia noui pagi indies accedebant. Deinde conſtituerunt, vt ſinguli

vt hæc ad Senatum referret: qui ſeſe excuſans, ait, hoc nuncium ſe in vrbem referre non poſſe, niſi ab omnibus velit rideri, & ludibrio haberi. Ad hæc ſpectrum: imò, inquit, hæc dices, niſi nomen tuum è cælo expungi velis. Niſi enim dixeris, nec filius Dei eris, nec Regnum cælorum poſſidebis: ſed nec in hoc ſeculo felicitas vlla tibi erit, & breui morieris. Miſit me Deus ad te, electum ad nuncium hoc perferendum. Ideóque nihil eorum quæ dixi reticebis, ſi animę tuæ ſalutem dilexeris. Hoc dicto ſpectrum euanuit. Germerus varia fortuna negotiũ ſibi commiſſum peregit, & in ciuitatem reuerſus, tam Senatui, quàm Eccleſiaſticis viſa, audítaq; omnia, cum magno horrore & tremore narrauit.

Aliæ prodigioſæ pluuiæ

Tertio Iulij denuò Stralesundę ſanguinẽ, & pridie ſulfur pluit, vti & paucos ante dies in tectum templi B. Virginis ignem copioſum è cælo cecidiſſe vidit Paulus Mẽtzius Eccleſiaſtes, & multi alij. Prodigioſas has pluuias, & ſpectaculũ Germeri veriſſimum eſſe, Conradus Scluſſelburgius, eiuſdem vrbis Straleſundenſis Superintendens, Eccleſiaſtes, S. Theologiæ Doctor & Profeſſor ſuo teſtimonio comprobat, & confirmat. Ad bellum ruſticum in Auſtria veniamus, quod profectò plurimum communi cauſę contra Turcam incommodauit.

Bellum ruſticũ in Auſt.

Belli huius initia libro pręcedenti à nobis commemorata ſunt. Ruſticos ſuperioris

ris & inferioris Aniſi in armis eſſe auditum eſt antea: Acceſſêre ad hos rebelles, qui ſyluam Viennenſem accolunt, & montem Manhardi: qui coniuncti tres arces Pergſtalliũ, Rogendorfium & Spyetz, nobilium Tropp, Ferdinandi ab Hois, & Kuſteineri dominia occupârunt. Si ipſis hoc impunè liceat, maiora tentabunt. Quia verò deputatis Cæſaris obedire noluerunt, neceſſariò recenſeri debuêre Auſtriæ nuper conſcripti milites, & in rebelles, poſtquam adhuc ſemel admoniti fuerint, immitti. Ruſtici interea in ſex ſigna, ſeu claſſes ſeſe diuiſerunt, multosq́ue concionatores ſuæ factionis in caſtra vocârunt. Steyr oppidum, Lintzio vicinum ſe ipſorum poteſtati tradidit, & rebellibus quædam torméta bellica ſuppeditauit. Abbatem quendam vicinum per ſex deputatos interpellârunt, commeatum pro iuſto pretio ab illo petentes, at ille negauit, & deputatos capitali ſupplicio affecit. Ruſtici Abbatiam expugnantes, & Abbatem captiuum facientes, poſt varia ludibria è muris Monaſterij ſuſpenderunt, omnesq́ue eius monachos cum illo. Qui cùm vitã deprecaretur, & magnam pecuniæ ſummam offerret, audiit: Et deputatis vitam fuiſſe charã, quam tamen ipſe abſtulerat. Inde Lintzium profecti, à ciuibus quoque tormenta quædam impetrârunt. Creſcebat numerus ſeditioſorum quotidie, quia noui pagi indies accedebant. Deinde conſtituerunt, vt ſinguli

Cruciatum in profeſſionem iuramenti deponerent, quem Cruciatum ſacramentalem appellabant. Tantus autem erat horum nummulorum numerus, vt ſummam mille centum Talerorum conficeret. Tandem omnes copias in apertum eduxerunt. Cùm autem propoſitum illis eſſet partem ſui exercitus Danubium traducere, Archidux Matthias omnes Tranſdanubianos monuit, diligenter aduigilarent, ne tantam hominum colluuiem in ſuos agros admitterent. Decretum quoque eſt quicunque vnum ex conſiliariis horum ruſticorum viuum traderet, octingentis aureis: qui mortuum, quadringentis donaretur. Interea Auſtriaci equitatum & peditatum conſcribũt: ſed antequam in rebelles mitterentur, Matthias eos ſecundò officij ſui admonuit. At illi in ſua opinione perſeuerârunt. Georgius itaq; Baro à Collonitſch, cum ſuis 700. equitibus & aliquot peditum ſignis in regionem Manhartsbergenſem mittitur, vt ruſticorum conatus impediret: qui mandato accepto parere initio noluerunt, dicentes ſe non cũ ruſticis, ſed cum Turcis pugnaturos. Ruſtici his nihil permoti, Aniſianos, Morauos & Sylueſtres in vnum cogunt, nouo ſe ſacramento obſtringunt, in tres exercitus omnes diuiſerunt, quos in diuerſas oras ita diſtribuerunt, vt bidui ſpacio centũ millia in vnum locum conuenire poſſent. Armis optimè erant inſtructi, belliq; imperato-

Nouus ſeditioſorum numerus.

rem

rem habebant ſartorem, domini ab Hoys ſubditum:cui tres ruſtici miniſtrabant, & à communi populo regio ſplendore ſuſtentabatur. Cum hoc ſartore de arce in arcem, de pago in pagum, de oppido in oppidum proficiſcebantur;occupabantque nonnulla vi,alia deditione,nec quenquam lædebant, qui ipſis iurare vellet:ſed nec quicquam è ſcriniis rapiebant, ſed omnia in catalogos referebant. Quod ſi quis dimidij daleri furtum committeret,ſtatim ſuſpendebatur: cibo tamen, potuque excepto, vnde victitare cuique licebat. E caſtro domini de Hoys mille quadringentas vrnas vini, multos modios frumenti & auenæ in caſtra comportârunt, quæ tamen omnia annotata ſunt: vt tumultu ſublato & pace reſtituta, reddi poſſent. Omnes arces,pagos & oppida à ſe intercepta impoſito præſidio munierunt.

Mercatus, ſeu pagus Langelois, qui duplo plures ædes continet,quàm Vienna, ſe ruſticorum fidei dedidit. Cùm autem pagum aliquem in ſocietatem belli recipiunt, ante omnia quærunt,quas habeant aduerſus ſuos dominos querelas. Hæ notantur, & communi querelarum apud Cæſarem depoſitioni expreſſè inſeruntur. Sunt autem pleræque huiuſmodi: Primò, ſe à ſuis dominis iam à lõgo tempore grauiſſimis tributis onerari, & tot obſequijs aulicis (vt vocãt) toto anno grauari, vt agros ſuos colere, & proprijs la-

tritici, tres vaccas, equos, anſeres & gallinas habeant, ſe tertiam quamque dominis ſuis dare iuberi. Præterea, ſæpiſſimè ſeſe militibus onerari, ita vt hæc onera ferre nullo modo poſſint. Tertiò, nihil aliud ſe flagitare, quàm vt ſibi priuilegijs patrum viuere liceat, maiora à ſe tributa, quàm quæ patres ſolent perſoluere, non exigantur: ſe enim tributa & auxilia contra Turcam more majorum dependere promptiſſimos omnes eſſe: Vltimò, ſi hæc impetrare potuerint, offerunt, ſe tempore neceſſitatis, ſi hoſtis hæreditarius victor extiterit, omnes & ſingulos vno eodemque zelo in hoſtem, vbicunq; inuentus fuerit, irruere, eum oppugnare, ei vita & fortunis reſiſtere velle: ea tamen conditione, vt domini ſui ipſi etiam prælio interſint, à quibus & duci poſſint. Paulò poſt Dominum Roggendorfium cum tribus eius concionatoribus ceperunt, & in vincula coniecerunt. Sternbergium etiam Amſtetti comprehenderunt: cauſa erat, quod duos rebelles ſubditos nuper capite plecti præcepiſſet. De nullo autem dominorum ſuorum grauius, quàm de Hoys & Galle cõquerebantur. Hos, ſi in ipſorum manus deuenerint, fruſtulatim ſe diſcerpturos iurauerant.

Secundo Februarij ruſtici agrum Viennêſem habitantes libellum ſupplicem Archiduci Viennæ obtulerunt, quo precabantur, vt ipſis aliquid de tributo Turcico remitteretur,

retur, cùm incredibilia damna ab equitatu Colonitſchij accepiſſent: tacita comminatione adiuncta, niſi impetrarent quod peterent, ſe rebellium factionem quoque ſecuturos. Rebelles ſub id oppidum Ratz obſederunt, & tormentis tam diu verberârunt, vt obſeſſi dedere ſe cogerentur. Hinc & Cæſareum oppidum Ips occupârunt, Monaſteriumque Melck expugnare dum parant, Colonitſchius cum ſuis equitibus accurrit, vt eorum violentiam reprimeret. Ruſtici aduentus hoſtium certiores facti aratra, quæcumque inueniri potuerunt, ante caſtra ſua foderunt, ne equis ad ipſos aditus eſſet. Vt autem Chriſtiano ſanguini parceretur, cũ Principum & Magnatum legati apud ruſticos nil poſſent, vrbium aliquot delegati in eorum caſtra miſſi ſunt, vt eos ad tranquillitatẽ admonerent: cum promiſſione, quòd onera quibus grauari ſe querebantur, Cæſar moderaretur. Interim vndique equites, pedites, Haiducci &c. euocãtur, & parati eſſe iubentur; vt ſi delegati nihil operæpretij apud ruſticos efficere poſſent, ſtatim in eos ducantur. Ruſtici metuentes vires Cæſaris, delegatis conſilium ſuũ expoſuerunt. Quòd ſi Archidux Matthias Cæſaris nomine fi-

Ratz & Ips occupârunt.

Ciuitatum ad ruſticos legatio.

Ruſticorum petitio.

poteſtas detur omnes querelas ſuas libello comprehenſas ad Cęſarem mittendi, moderationemque earum expectandi, ſe arma poſituros, & ad conſuetos labores reuerſuros. Archidux Matthias furenti populo morem geſſit, & litteras publicæ fidei dedit, ea lege, ſi Cæſari eas ratas habere vellet. Interea iunior Dominus de Altheims cum quibuſdam Hayduccis & præmiatoribus ad Fanum S. Polti, aliis copiis contra ruſticos miſſis, ſeſe iunxit. Rebus autem ad pacem ſpectãtibus, cùm reduceret ſuos, multa damna pagis intulit. Quare Marckfeldenſes & vicini ruſtici denuò coëuntes, Altheimbſij copijs infeſtis ſignis obuiam profecti ſunt, cum illis manus cõſeruerunt, multos occiderunt, reliquos in fugam verterunt. Hinc ruſtici nouos conuentus fecerunt, Cæſaris reſpõſum expectantes: quod tandem allatum, & 23. Februarij ruſticis prælectum eſt. Quod cùm audiſſent, ratum habuerunt, & poſtridie domũ reuerſi ſunt. Aliquot tamen millia in caſtris manſêre, donec Archiducatûs, Cæſariſque milites dimiſſi in Vngariã iter inſtituiſſent. Ita vtrinque arma poſita ſunt, & promiſêre ruſtici ſe captiuos omnes dimiſſuros, tormenta, oppida, arces adeptas Cæſari reſtituturos. Eodẽ die omnes præfectos ſuos ruſtici conuocârunt, & ad ſuas quemque copias miſerunt, donec reſponſum Cæſaris ad ſuas querelas referretur. Interim omnia tranquilla fuêre. Pacati ſunt & Turnefeldenſes ruſtici,

Altheimbſij cum ſuis cæditur.

ruſtici, qui nihilominus ſui, ſuorumque curam habentes, diuerſis locis ſuas ſtationes habuerunt, vt nemo abſque ipſorum licentia in oras ſuas ingredi, aut ex iis exire liceret: At reliqui negligentius egerunt. Cùm enim Colonitſchii milites in reditu inſolentius ſeſe gererent, ciſtas & ſcrinia expilarent, matronas & virgines vitiarent, ruſtici correptis armis eos ad pontem, quem tranſire debebant, expectârunt, vt ex improuiſo aggrederentur. Obuios autem eos habuerunt circa meridiem in agro Krembſenſi, & antequã Colonitſcii arma induere potuerunt, viginti quinque cæſi ſunt. Reliqui interea equites ſe armant, & conſcenſis equis in ruſticos ruunt, ac quingentos occidunt. Inde Colonitſchius cum ſuis in 7. pagos irrumpit, eos ſpoliauit, & incendit. *Ruſtici cæduntur.*

Reſtabant, benigne Lector, aliqua de Turcis, Vngaris, Gallis, & Belgis, quæ hoc tempore, partim variis occupationibus, quibus diſtineor, ac peſte maximè graſſante impeditus; partim, quòd mihi nondum plenè cognita (calida & incerta tibi obtrudere nolens) communicare non poſſum. Hæc ſi tibi diſplicent, ſufficere arbitror: ſin placere videro, plura à me ſequentibus nundi-

RERUM MEMORABILIUM HUIUS LIBELLI INDEX.

ANNO M. D. XCVI.

11. Februar. Albertus Auſtriæ Archidux & Cardinalis Bruxellas venit 7
Cæſaris legatio ad Polonos 41
Matthias Archidux Auſtriæ Tirolenſi Comitatui præficitur 42
15. Aprilis Albertus Cardinalis Caletum obſidet, & capit 8
Ardam deditione capit 9. & ſeq.
24. Aprilis Cardinalis Caietanus Legatus in Poloniam 31
12. Maij Maximilianus Auſtriæ Archidux belli Turcici Imperator conſtitutus Pragam ad fratrem venit 42
21. Maij Banditæ Romæ ſupplicio affecti 33
Marchio Marignanus à ſuis occiditur 34
Claſſis Chriſtianorum contra Turcã 36
Hiſpaniæ Rex ægrotat 37
22. Maij Galli Feram recuperant 10
Legatio Colonienſium ad Hollandos 13
8. Iunij Schambocam à Chriſtianis occupatur 40
Tranſyluanus Mareſcam capit 41
Tatari ceduntur 43
14. Iunij Tranſyluaniæ Princeps Fallacam occupat 43

17. Iu-

17. *Iunij dona Tranſyluano à Pontifice miſſa* 44
Tranſyluanus Temesvariā obſidet 44. 51
Munera Tataro à Sultano miſſa 45
Sultani ad Vaiuodam Valachiæ legatio ibid.
Eiuſdem litteræ ad Baſſam Budenſem 47. & ſeq.
Turcica legatio ad Polonos 50. 54
Moſchus Tatari ditionem vaſtat 50
4. *Iulij Albertus Archidux Auſtriæ Hulſtum obſidet* 15. & ſeqq.
18. *Iulij Maximiliani Archiducis ſignū prætorianum luſtratur* 51 & ſeq.
24. *Iulij Christiani VVaitzam occupant* 54
Budenſium Turcarum metus 55
4. *Auguſti Maximilianus Archidux in caſtra venit* 56
Viennæ Auſtriæ ſit armiluſtrium 58
Turcæ Petriniæ inſidiantur 57
17. *Auguſti Hulſtum Alberto deditur* 19
Galliæ Rex exercitum conſcribit 21
Maſſiliæ tumultus 22. 74
Iunior Princeps Condæus Romam mittitur ut Catholicè educatur 2[illegible]

29. Auguſt. Coronatio Regis Daniæ 84. & ſeqq.
Hiſp. Regis legatio ad Cæſarem vxorem filio petens 86
30. Auguſt. Ioannis Adolphi Ducis Holſatiæ nuptiæ 87
Nauarræus bellum parat Arteſijs 60
Mauri Ceutæ inſidiantur 81
1. Septembr. Bironij in Arteſiam expeditiones 60. 63. 67
3. Septembr. Hatua à Chriſtianis expugnatur 90. & ſeqq.
Pontificis et Cæſaris legatio ad Polonos 93. & ſeqq.
Sultanus Turcicus in Vngariã venit 95
5. Septemb. Vvarembonius capitur 60
10 Septemb. Turcæ Petriniam obſident 97
Tempeſtas & inundatio in Italia 78
14. Septemb. Franciſcus de Toledo Cardinalis moritur 78
Fames in Italia 35. 78 79
25. Septemb. renouatio fœderis inter Gallos, Anglam & Belgas 72
30. Septemb. Bellum ruſticum in Auſtria 88
10. Octob. Claſſis ex India in Hiſpaniam appulit 83
13. Octob. Turcis Agria deditur 100. & ſeqq.
20. Octobr. Rex Galliarum Rothomagi cum triumpho excipitur 73

Fran-

Francorum Comitia in Meldis 74
23. Octob. Chriſtianorum ad Kareſtam victoria 108. & ſeqq.
Sultanus Conſtantinopolim redit 115
24. Nouemb. Maximilianus Archidux Viennam redit 116
10. Decembr. Ferdinandi Ducis Styriæ inauguratio 89
20. Decemb. inundatio Pariſijs. 76

ANNO 1597.

24. Ianuar. Prælium Turnhoutanum inter Hollandos & Regios 119
26. Ianuarij Cæſar ægrotat 142
Boemicus conuentus 143
Comitia in Haga Comitis 122
Mercurij Ducis cum Rege Hiſpano pactum 129
17. Febr. Tranſyluanus Pragam venit, & aureum vellus accipit 144
11. Martij Ambianum ab Hiſpanis occupatum 125. & ſeqq. *à Gallis obſeſſum* 132. & ſeq.
Legatio Regis Hiſpan. ad Regem Daniæ 145